DE IDEIS PLATONIS LIBELLVS.

Χαλεπὰ τὰ καλά.

AVCTORE

HENRICO RICHTER

COLLEGA IV. SCHOLAE ST. THOMAE PROF. PHIL.
IN ACADEMIA LIPSIENSI.

LIPSIAE,

SVMTIBVS C. F. H. HARTMANNI.

MDCCCXXVII.

§. 1.

Philosophiae quum hoc propositum esse debeat, ut et rerum divinarum inquirat naturam et earum, quae sensibus subiiciuntur, rationem, qua cum illis contineantur, investiget, veritatemque sic perspiciat[1]), idque quum propter causae magnitudinem difficile sit intellectu, tum propter mentis imbecillitatem difficilius etiam ad eloquendum recte; gravissima semper atque paene immortalis inter viros doctos ea de re fuit dissensio. Quae dum futuri sunt homines, nescio an componi possit nunquam. Exstitit enim ab ultima antiquitate duplex philosophorum genus, quorum alterum nisi quod adspectabile esset et tractabile vere esse negaret, alterum veritatis indagationem omnem a sensuum temeritate avocatam ad rationem et intelligentiam deduceret. Ac fuit inter hos unus omnium praestantissimus Plato. Cuius viri doctrinam etsi per se difficillimam tamen homines doctissimi et summa omni tempore admiratione prosecuti sunt, et dignissimam, quae recte explicaretur, ut quae ad verum cognoscendum plurimum conferret, iudicaverunt. Quocirca plurimi iique praestantissimi in

1) Rep. VI. 485. A. B. 486. A. ed. Steph. cf. G. E. Schulze de summo secundum Platonem Philosophiae fine. Helmstad. 1789.

philosophia Platonis illustranda elaboravere; quos quidem singulos hic nominare, quum sint inter omnes notissimi, nihil attinet.

Horum autem virorum studiis, quanquam multum ad Platonem rectius intelligendum est profectum, multa tamen etiamnunc neque accurate explicata, neque perspicue proposita supersunt. Inter quae, ut alia omittam, referenda est inprimis doctrina illa *de ideis.* Quam quum a Tennemanno et aliis perfectam paene arbitraremur, exstiterunt nuper viri docti, qui numerorum commemoratione novam de ea dubitationem iniecerunt[2]). Quam ambiguitatem ut accurata de ideis disputatione tollam omnem, operaeque pretium facturus sim in explananda hac Platonicae disciplinae summa et quasi sede, fore, ne ego quidem admodum confido. Neque tamen aut rei obscuritas et gravitas aut ingenii mei tenuitas et imbecillitas me retinuerunt, quominus, quod alii imperfectum reliquissent, rursus afficerem, si perficere aut conferre saltem aliquid ad controversiam hanc componendam possem, tentaturus. Ac nihil quidem magis opto, quam ut viris Platonicae philosophiae intelligentibus si non satisfaciam, at utile opus suscepisse videar.

§. 2.

Aggredienti autem enarrare idearum doctrinam, duplex statim obiicitur difficultas, altera in librorum

2) Brandis de perditis Aristot. libris de Ideis et de Bono sive Philosophia. Bonn. 1823. Trendelenburg Platonis de ideis et numeris doctrina ex Aristotele illustrata. Lips. 1826.

Platonicorum indole posita, altera profecta ab usu idearum apud nostros homines. Quarum quidem haec removeri potest eo, ut Platonem legentes animum ab ideis a Kantio, Jacobio, Schellingio in scholas introductis plane avocemus, ac meminerimus, antiqua nos, neque nostrae sapientiae placita esse relaturos. Maior autem oritur ex natura librorum, ex quibus idearum doctrina repetenda est, ambiguitas. Certant enim philosophi, utrum in legendis philosophorum libris singula singulorum locorum verba urgeri oporteat, quo sensus efficiatur certus, an liceat, minus quidem singulorum verborum continuationi tribuendo sed summa tantum doctrinae collecta et cum singulis composita, scriptoris mentem assequi. Ac quid illa priori interpretatione in Platone effectum sit, videmus tum in Meinersii et aliorum inconstantia, tum in dissensione de substantia idearum. Altera quanti esset facienda, luculenter docuerunt Schellingii, Goerresii, aliorum de Platone iudicia; qui quidem Graecum in suam familiam adsciscere certatim studuerunt. Et vero quantopere in mythis Platonicis explicandis multi luserint, quum alii plurimum alii nihil iis esse tribuendum iudicarent, cum fastidio saepe experiri oportuit [3]. Quapropter sic arbitror in lectione

3) Varia de mythis Platonicis iudicia v. apud HÜTTNERUM in diss. de mythis Platonis. Lips. 1788. p. 6. 7. cf. SCHELLING Rel. u. Phil. p. 35. et Brunonem var. loc. AST Plat. Leb. u. Schr. p. 106—109. 157—166. in quo loco mythum in Phaedone ab Indis usque repetiit, et Brahmaismi et Platonismi intimam coniunctionem videre sibi visus est. Quae quidem sapientia novitia nimia iam foecunditate et ubertate se ipsa paene enecuit. Sobrie, ut solet, SCHLEIER-

horum librorum versandum esse, ut evitata umbraticorum hominum levitate, qui, quod animo ipsi finxerint, id tanquam orationis summam scriptori obtrudunt, et singula loca accurate explicentur et cum universae disciplinae vi et natura collata examinentur. Hac enim sola ratione vera et constans philosophi de unaquaque re sententia percipi posse videtur [4]).

§. 3.

Iam vero quum id maxime egerit Plato, ut, quod est semper et immutabile, quodque est rerum universitati tanquam fundamentum subiectum, id philosophando consequeretur [5]), rerumque essentiam [6]) ideis contineri doceret [7]); eum, qui harum naturam plane sit in-

---

MACHER in introductione universa (Versionis T. I. Vol. I.) de hac re sententiam dixit.

4) *De Platonis inconstantia longum est dicere.* Cic. N. D. I, 12. Et sane verissime hoc permulti alii post Ciceronem confirmarunt, qui, quantopere constantiam in eo perspicere non potuerint, libris suis de Platone conscriptis docuerunt. Quod ut excusarent, ad esotericae disciplinae tenebras se receperunt, cuius commenti auctoritas quantopere viros doctos vexaverit, dudum constat. cf. TENNEMANN Syst. d. Pl. Ph. I, 114. 264. SCHLEIERMACHER l. l. p. 9—15.

5) Rep. V, 477. B. VI, 485. A. B. Soph. 254. A. TENNEMANN Syst. I, 233. 257.

6) *Essentiam* interpretatus sum *οὐσίαν* tum Seneca (ep. 58.) tum Quinctiliano (Inst. rhet. III, 6. §. 23. VIII, 3. §. 33.) auctoribus. Nonnunquam tamen graecum *substantiae* vocabulo reddidi, quo tum vis et natura rei (Quinct. III, 6. 38.) tum realitas (quam nostri dicere consueverunt. Sen. l. l.) significatur.

7) Rep. VI, 511. Soph. 246. B. C. Phaed. 78. D. E. 79. D. 80. B. Tim. 28. A. C. 35. A. 51. D. 52. D. al.

tellecturus, ab essentiae notione orationem exordiri necesse est.

CAPVT I.

DE ESSENTIA.

§. 4.

Est autem vocabuli *esse* apud Platonem multiplex significatio. Et primum quidem esse dicitur *id quod vere est* sive natura, quae ita est, ut per se ipsa sit atque constet. Quae quum in omni rerum genere sit princeps, fontem ac principium universae essentiae et cognitionis continet. Hanc naturam, quae proprie est, sic descripsit, ut esset per se aeterna atque immutabilis, neque esse aut inciperet aut desineret. Propterea ens illud verum et perfectum variis nominibus appellat *τὸ ὄντως ὂν* Phaedr. 249. C. *τὸ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ὂν* Tim. 27. E. *τὸ ἀΐδιόν* 29. A. 35. A. *ἀγέννητον καὶ ἀνώλεθρον* 52. A. *ἀθάνατον* Phaedr. 245. C. D. Phaed. 79. D. Ne quis vero putet, finxisse sibi Platonem ens, quale nuper in scholis audivimus iactari, cuius praeter nihil nulla esset proprietas; essentiam illam perfectissimam simplicem sive materiae impurae ac mobilis plane expertem iudicavit[8]. Quodcunque enim partibus confi-

8) *μονοειδὲς, καθαρὸν, ἀδιάλυτον* Phaed. 80. B. 83. E. al. loc. appellat. Quod quum tanquam primum ponendum sit, ex quo et natura et universa veri investigatio originem suam duxerit, habeantque hoc dialectici praeceptum, ut in disputatione ab eo, quod sum-

citur, id neque manet et commutatione perit. At vero summum ens idemque purissimum mens est et intelligentia, quae nisi bona esse non potest. Quamobrem natura illa aeterna est et perfecta et divina, omnesque perfectionis summae numeros in se complectitur. Neque igitur surda est aut muta aut scientiae expers, sed eadem omnis scientiae cum perfecta essentia fons et totius rerum, quae proprie sunt, universitatis causa et principium[9]). Ex quo efficitur, philosophiae Platonicae principium a deo uno et summo esse repetendum, qui quidem non sit divinum aliquid, universum et commune,

---

mum et unum sit, proficiscantur; ens illud unum et simplex tanquam rerum et notionum principium commune cum summo philosophiae purioris detrimento intellexerunt. cf. Senec. ep. 58. *Primum*, ait, *illud Quod est* (τὸ ὄν) *nec visu nec tactu nec ullo sensu comprehenditur; cogitabile est. Quod generaliter est.* Alexandrinorum autem de uno et summo somnia hic commemorasse sufficiat. v. Tennemann Gesch. d. Ph. t. VI.

9) Rep. VI, 505. A. 508. E. 509. B. VII, 517. B. C. 532. A. Phileb. 22. C. D. 28. C. coll. Phaed. 97. C. Tim. 46. C. Phileb. 29. A. 30. D. 66. A. In quo ultimo loco quum inter bona primum locum τὸ περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ τὸ καίριον, secundum pulcritudo obtinet, non de bonis, quae homini contingere possint, sed de eo esse intelligenda, quod ipsum bonum sit, ex quo tum bona omnia, tum inprimis universitas mundi generentur, suadent quum ipsa de bono doctrina, tum loci huius ratio. Neque videtur Astius (l. l. p. 295—298.) non vidisse verum. Quocum consentit et Schleiermacher (T. II. Vol. III, 132. ed. I.) Significatur enim magis, nisi fallor, per totum hunc dialogum natura summi illius boni, quam indicatur; cuius rei vestigia in his locis deprehendisse videor. 22. C. D. 60. C. 64. E. 65. A. Sed cf. Stallbaumii, collegae amicissimi, de his locis subtilissimam disputationem in edit. Philebi.

in quo quomodo intelligentia et bonitas inesse possit, vix intelligitur, sed numen mente ac ratione totum rerum orbem complexum atque moderans. Cuius quodcunque est simillimum, id verae essentiae maxime est particeps [10]).

§. 5.

Etenim non deus tantum vere esse docetur, sed etiam *res divinae.* Quae est altera vocabuli *esse* significatio [11]). Dicimus autem divinas res, quae proprie sunt, eas, quarum natura semper sibi constat, neque ulla mutatione corrumpitur [12]). Ad quod genus referenda sunt omnia, quae rerum essentiam (*οὐσίαν*) sive substantiam continent [13]). Quae si gignerentur, eadem et interirent aliquando, atque accessione aut abscessione facta si permutarentur, vere esse non possent. Iam vero corporis communionem et oculorum adspectum in ejusmodi res

---

10) Hörstelii libellus: Plat. doctrina de deo. 1804. plane est inutilis, quippe qui praeter ea, quae in hoc genere in oculos incurrant, nihil contineat, et ne haec quidem docte composita.

11) *τὸ θεῖον* Phaedr. 246. E. 249. C. Phaed. 80. B. 84. A.

12) Soph. 248. A. Cratyl. 439. E. Politic. 269. D. *τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν ἀεὶ καὶ ταὐτὸν εἶναι τοῖς πάντων θειοτάτοις προσήκει μόνοις, σώματος δὲ φύσις οὐ ταύτης τῆς τάξεως.* Phaed. 83. A. E. Tim. 55. A.

13) Animos ad res divinas referri, ut qui se ipsi semper moveant, et alia sua vi circumagant, neque praeter aeternitatis et constantiae naturam quidquam in se comprehendant, patet ex Phaedr. 245. E. Legg. X, 895. E. Alia praeterea divina esse, ex h. l. et ex Phaed. 65. E. 75. C. 76. D. Phileb. 59. C. Rep. VII, 526. E. colligitur, ubi *οὐσία* (essentiae) opponitur *γένεσις*, quam nescio an recte quamquam barbare existentiam dixeris.

cadere haud convenit[14]). Quocirca et haec, quum corporis ac materiae sint expertia, ad mentis naturam accedunt, et ut summum numen sunt aeterna, neque ullis temporis aut spatii finibus concluduntur.

Ac videtur hoc quidem patere, *esse* quum eiusmodi rebus tribuatur, non dici de animis tantum, sed etiam de iis, quae omnino sint simplicia, sine forma, colore, corpore, quaeque non nostris contrectentur oculis et manibus, sed quae a sensuum iudicio remota ratione et intelligentia percipiantur[15]). Qualem, ut infra probabitur, informavit idearum naturam. Neque vero, quam nostri ferunt rerum singularum substantiam sive subiectum, ad hanc essentiae notionem est adhibenda; nam quae vulgo perhibetur uniuscuiusque rei substantia, et cogitari nequit et est alienissima a philosophi nostri subtilitate. Immo esse quum essentiam interpretamur, non res ipsas sub sensus subiectas dicimus, quoniam harum nulla est neque constantia neque aeternitas. Namque, ut recte docuit Heraclitus (Theaet. 152. D. E. Cratyl. 402. A.), fluunt omnia nec constat quidquam. Sed esse illud est universum quiddam, ad omnes res aequabili ratione referendum, siquidem notionis suae, in qua inest stabilitas, communione res aeternitatem et constantiam nanciscuntur[16]). Ac videtur haud alienum esse a proposito, locum hac de re gravissimum in Sophista

---

14) Phaedr. 247. C. Soph. 246. B. C. Rep. VI, 511. B. Tim. 27. E. 28. C.

15) Phaedr. 247. C. cf. Heindorf. Phaed. 65. C. 66. 67. C. Phileb. 58. A. et Stallb. ad h. l. Rep. VI, 507. C.

16) cf. Tennemann Syst. II, 312. 313.

(248—260.) accuratius explanare. Disputaverant ibi hospes Eleates et Theaetetus de antiquorum philosophorum in explicanda essentiae natura atque in dissolvendis difficultatibus, quibus non-ens implicatur, irrito studio. Quae res quum omnibus male cessisset, hospes in eam denuo inquirit, refutatisque Aristippi opinionibus (246—248.) et Eleatarum[17]) rationibus (248—249. D.), ponit notiones quinque essentiae (οὐσίας), motus (κινήσεως), quietis (στάσεως), identitatis (ταὐτοῦ) et diversitatis (θατέρου), easque sic inter sese copulat, ut ratione quadam communi contineri eas appareat. Est enim ens (τὸ ὄν) sive essentia non res vel natura neque universa, neque una aliqua, quam antiqui commenti essent, sed notarum, quae constanter rei cuiuslibet notione comprehenduntur, coniunctio. Ac quod suam quaeque habet naturam, aeternam illam et immutabilem, mentisque ratione conceptam, ideo est sive particeps fit essentiae. Eodem modo motionis essentia se habet; non quo omnia moveantur, sed quod suam motus habet vim ac naturam, semper sui similem. Nec alia reliquorum verborum est ratio. Unde consequitur hoc, esse (εἶναι) res, quotquot in suo sibi genere constent; non esse autem (μὴ εἶναι), si ab aliis natura differant, ut quies, si ad motum respicias, non est. Quapropter non entis natura non consistit in essentiae vel negatione vel absentia, sed inest in diversitate. Ut quaeque res ad aliquod genus, cui subest, refertur, ita iure essentiae

---

17) Tiedemannus in Arg. dial. Plat. p. 60. nescio quo argumento ductus Pythagoreos perstringi putavit.

fit particeps; a quo quum mentem ad aliud idque diversum converteris, non est. Quae quum ita sint, vere est utrumque et ens et non ens. Rationem autem et leges mutuae coniunctionis et divisionis ars dialectica docet, cuius in dijudicandis rerum rationibus diligentia quum negligitur, existit naturae cogitationum inepta compositio sive error (260. B. C.)[18].

§. 6.

At vero, quae animo nostro contingit cognitionis veritas, hac ipsa rerum mente conceptarum natura nititur. Cui quidem veritatis (ἀληθείας) vocabulo potestas subiecta est duplex. Etenim veritas, quum non notionum aut enunciatorum concinnitate sola absolvatur, sed ad substantiam rerum maxime pertineat; ea demum est perfecta veritas, in qua substantia (τὸ εἶναι) a scientia (τὸ εἰδέναι) non separatur. Quo fit, ut veritatis altera significatio sit substantiae, quam nos *Wirklichkeit* appellamus (Rep. VI, 508. D. VII, 525. C. 533. A.), altera cognitionis naturae rerum sincerae et aeternae, quae notionis universae constantia continetur (Phileb. 65. B. C. 66. B.). Et haec quidem quum ad naturam et vim (οὐσίαν) rerum referatur, tamen ne ea quidem substantia caret. Semper enim est omnium rerum vis atque

18) Platoni iniuriam inferre videtur Tiedemannus (Arg. p. 60–63.), qui omnia haec ad rerum naturam detorqueat, et ens putet rem ipsam, quae substantiam habet, dici. Neque enim ille rerum universitatem explicat, neque ens, quo sensu supra (p. 6.) usurpari vidimus, intelligit, sed a Parmenidea disputatione orationem deflectit ad notionum generalium (εἰδῶν) rationes.

indoles. Vera autem cognoscere non potest, nisi qui mente et cogitatione artis dialecticae praecepta secutus aeternam omnium rerum naturam et rationem invenerit[19]. Ex quo, qualem philosophus veritatem cogitaverit et toto pectore sit consectatus, constat. Aberat a veritate inter verum et falsum incerta, quam nunc decantatam videmus tanquam cogitatorum concordiam atque concentionem, quae nisi in ipsa notionum continuatione insit nusquam. Veram rerum essentiam videre et verbo eloqui, eam demum veritatem philosopho dignam iudicavit.

§. 7.

Atque restant aliae praeterea notionis *esse* significationes, quas ut Platonis ea de re sententia plane perspiciatur, addere opus est. Vulgaris inter homines fertur opinio, esse eas res, quae cerni tangique possint. Quippe quae vim suam manifestent et actione et perpessione. Quarum tam indubitata esse videtur substantia, ut qua alia certior reperiri possit nulla. Adeo enim movent immo percutiunt sensus, ut qui esse eas neget, amens esse habeatur[20].

19) Phaedr. 247. C. D. 249. B. C. et Heindorf. ad h. l. 250. A. B. Soph. 253. E. 254. A. Cratyl. 439. E. — 440. C. Phileb. 59. D. 61. E. cf. mythum in Phaed. 109. B. — 111. B. Sympos. 210. A. — 212. B. Rep. V, 475. E. sq. VI, 500. B. C. 511. C. VII, 514 — 16. cll. 532. A.

20) Theaet. 155. E. Soph. 246. A. 247. D. Phaedr. 249. C. *ὑπερϊδεῖν* dicitur animus veritatis divinae memor *ἃ νῦν εἶναί φαμεν, καὶ ἀνακύψαι εἰς τὸ ὄντως ὄν.* Tim. 51. C. D.

Verum enimvero eiusmodi res quum noster esse dicit, sequitur vulgarem de iis opinionem et usum loquendi, quo, quod perceptione et experientia cognoscitur, perhibetur esse[21]). Ipse tamen haec, quae sunt vel constant nunquam, sed fiunt perpetuo et mutantur, *γένεσιν* communiter appellat (Rep. VII, 534. A.). Neque dissimilis est huius notionis vis, quum omnino, quae mente finguntur aut tanquam obiecta cogitantur, sive sint sive non sint, dicuntur entia. Sunt nimirum, quum animo obversantur, non sunt, si de substantia quaeritur. Talia nos entia logica dicere consuevimus[22]).

§. 8.

Iam vero haec si accommodate ad veram doctrinam Platonis a me sunt relata (quippe quum nihil aliud agam, nisi ut probus esse videar historicus), duo existunt rerum, quae sunt, genera.

Divinum alterum et sempiternum, quod, quia nunquam exstitit nec esse desinit, remotum est longe a temporis et spatii, quibus nihil est inconstantius, legibus. Quod neque ubi sit neque quando quaerere licet, sed viget aeterna sua maiestate. Quid? quod nostrae res ab illo deorum genere originem ac naturam nactae sunt. Sed in ea ipsa divina essentia intelligitur inesse duplex rerum natura, altera animata et per se vigens atque intelligens, altera animi simillima in veritate pura con-

21) Theaet. 152. D. et passim. Parmen. 127. E. 131. B. Sympos. 202. A. Phileb. 26. C. Tim. 27. E. 31. B.

22) Euthyphr. 11. A. Soph. 237. C. Rep. V, 477. C. Tim. 69. C. et al. loc. multis. Tennemann Syst. II, 291—296.

sistens, unde omnis ad res humanas essentia et veritas descendit. Est autem cum principe natura sic coniuncta, ut praeter eam esse non possit. Cuius quidem societatis rationis infra, quum de idearum substantia disceptabitur, fiet mentio.

Ab his quum longissime distet humanarum rerum fragilitas, revera hae non sunt (μὴ ὄντα), quoniam neque a se pendent, neque semper manent. Etenim quum ex rudi materia concreverint, causae huius vis et natura, legibus vix temperanda, etiam in effectis movere solet perturbationem. Legenda sunt loca Tim. 27. E. 28. B. 30. A. Politic. 269. D. E. Phileb. 24. A. — 25. D. et conferenda cum his subtilissima de *uno* disputatio in Parmen. 142. C. — 155. D., in qua quod unum dicit existens, alio plane sensu interpretatur, quam unum illud vere unum, cuius naturam p. 157. B. — 159. A. exponit. Hanc esse ideam nemo, qui Platonicarum rerum paulo sit intelligentior, negaverit. Contra unum illud, quod diversissima quaeque in se continet et opposita adeo, efficitur, si cum reliquis nostri praeceptis componatur, esse rerum humanarum universitatem sive mundum sub sensus cadentem. Quem vere unum esse et vere esse Eleatae ante Platonem haud sane doctissime contenderant. Ac fiet hoc quidem planum comparatione loci p. 160 — 163., quo loco docetur id, nostras res, etsi non sint, i. e. aliis aliae propter qualitatis diversitatem opponantur (cf. Soph. 257. B. — 258. C.), tamen essentiae esse participes et cognosci adeo posse perceptione (αἰσθήσει) et opinione (δόξῃ cf. Tim. 52. A.). Sic Parmenidis ea de re doctrina sub examen vocata

tacite emendatur[23]). Nihilominus tamen eaedem sunt; habent namque suam quaeque naturam notione constanter expressam. Ideo quum non sint, sunt tamen quodammodo. Quod idem de rebus menti ad contemplandum propositis valet[24]).

§. 9.

Iam video fore, qui dicant, Platonem inter subtilissimos istos idealismi praeceptores numerari debere. Negare enim, esse res sensuum arbitrio commissas, abducere veritatem ipsam ab opinionibus ad mentis agitationem immo ad notionum communium exilitatem. Esse igitur praeter notionem nihil. Quod longe est secus. Tantum enim abest, ut tantam futilitatem admiserit, ut, quam Fichtii aliorumque sectatores sustulerunt rerum humanarum substantiam, certissime confirmaverit. Sunt enim res eiusmodi propterea, quod in essentiae verae societatem imitatione et communitate (μεθέξει) venerunt. Quapropter neque eadem ut Schellingius, neque similia adeo docuisse censendus est Plato. Et est

23) Quod tametsi Schleiermacherus (p. 99.) fieri posse negaverit, nescio tamen, an verecundia, qua Parmenidem Plato prosequebatur, ipse deceptus fuerit.

24) *Τὸ μὴ ὄν* apud Platonem significat et *nihil*, quod quia omnino non est; ne potest quidem cogitari. Parmen. 163. B. — 164. B. cll. Soph. 237. A. Theaet. 188. D. — 189. B. Soph. 260. D. cll. Parmen. 165. E. — 166. C. Rep. V, 477. A. 478. B., et *non ens* sive diversum ab alio sed essentiae non expers. Parmen. 160. C. — 163. C. cll. 164. C. — 165. D. Soph. 257. B. *ὁπόταν τὸ μὴ ὂν λέγωμεν, οὐκ ἐναντίον τι λέγομεν τοῦ ὄντος ἀλλ' ἕτερον μόνον*. 258. E. 259. A.—D.

quidem facile, induere Platonis speciem, verborumque inusitatis comprehensionibus sermonis Platonici indolem simulando imitari. Ipsa tamen disciplinae natura et ratio longe abesse videtur tum a Jordani Bruni tum a Spinozae similitudine [25]).

CAPVT II.

DE COGNITIONE.

§. 10.

Absoluta de essentia rerum quaestione, iam de cognitione τῆς οὐσίας dicatur, necesse est. An pertinet quidem haec quaestio nihil ad deos, qui sunt omnis veritatis intelligentes. Quid enim eum, qui integram rerum naturam mente sua contineat, opus est, discendo fieri peritiorem? At vero humanum genus, a Poro et Penia procreatum, collocatumque divinae scientiae inexhaustam copiam inter atque humanae inscitiae egestatem indignam, suspiciens mente vera, neque tamen propter corporis umbras intelligens, nisi viam aliquam, qua ad veritatem rerum perveniat, invenerit, miserrimum esse oportet. Namque sumus veritatis amantissimi et ad inquirendam eam nati [26]). Ac ne desiderium quidem ve-

25) Phaedr. 250. Phaed. 100. C. D. Tim. 4°. E. — 53. C. Schelling Phil. u. Rel. p. 32. sq.

26) Phaedr. 217. 278. D. Sympos. 203. C. — 204. B. *φιλόσοφος μεταξὺ σοφοῦ καὶ ἀμαθοῦς.* Phileb. 56. C. D. Rep. V, 475. C.

ritatis in animo oriretur, nisi ipse et vere esset et veri aliquod saltem vestigium impressum haberet. Qui si omnis cognitionis rudis ad contemplationem mundi accederet, brutorum instar vel stuperet vel horreret adeo. Offendit haec doctrina non solum Platonica sed communis etiam omnium humanitatis defensorum omni tempore eos, qui, quum parum magnifice de natura humana sentirent, ad bruta eam animalia detruserunt. Scilicet fabulas narrat, si quis a diis originem generis nostri repetit, vera docet is, qui a bestiarum immanitate profectum censet, quidquid in nobis est altum, augustum ac divinum [27].

Iam vero scientiae humanae originem ut perspicue possim explicare, praemittenda est expositio tum rectae cognitionis tum naturae animi. Siquidem fieri non potest, ut is verae essentiae cognitionem intelligat, qui animi, quo cuncta percipiuntur, et essentiae rationem ignoret.

§. 11.

Atque cognitionem (ἐπιστήμην) neque consistere in sola rerum per sensus perceptione (αἰσθήσει), quam post Aristotelem Lockii discipuli ad taedium usque decantaverunt, neque in vera animi opinione (δόξῃ), quae est Kantii sententia, inesse, neque denique in recta rerum definitione (ἀληθεῖ δόξῃ μετὰ λόγου), egregie Plato in Theaeteto docuit. Quem librum si quis legerit, is ad aliud genus scientiam esse revocandam fateri cogetur [28].

---

27) Cf. mythum de hominibus in Protagora, 320. D. — 322. D.

28) Cic. Qu. Ac. IV, 46. *Plato omne iudicium veritatis, veri-*

Et hoc certe constat, non posse a sensibus repeti rerum simplicium et aeternarum, quae animi sint simillimae, cognitionem. Igitur in eo genere animus a sensibus est plane revocandus et ad suam ipsius naturam deducendus[29]. In qua natura duplex est ratio perveniendi ad verum; aut enim intuendo aeterna et divina recens hauriatur cognitio oportet, aut cogitando scientia rerum divinarum nobis innata explicanda est et illustranda. Quorum alterum, in quo nunc sumus constituti loco, videtur vix posse nobis contingere. Sumus enim in corporis carcere inclusi[30], et remoti a vera rerum essentia, cuius est cognitio, videmus[31] simulacra et imagines veritatis et opinionum varietate huc et illuc ferimur[32]. Fieri igitur non potest, ut nisi quis veritatis speciem animo comprehensam iam teneat, possit aut verum indagare aut agnoscere inventum[33]. Et

---

tatis, veritatemque ipsam, abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis esse voluit.

29) Phaed. 66. B. C. E. 79. C. D. Rep. V, 476—480. VI, 484. B. C. 508. D.

30) Cratyl. 400. C. Gorg. 493. A. et Findeisen ad h. l. Phaed. 62. B. et Wyttenb. ad h. l. p. 139. ed. Lugd.

31) Rep. VII, 514—517. Similes sumus eorum, qui in loco subterraneo alligati umbras rerum post tergum praetervolantium cernunt. Qua similitudine Plato vulgarem hominum cognitionem egregie illustravit. Parmen. 134. C. Phaed. 75. A. 109—111. Politic. 269. D. Phileb. 29. B. C. Tim. 48. E. — 53. C.

32) Theaet. 156. C. — 157. C. 201. A—D.

33) Id quum per se patet, tum elenchtica in Theaeteto disputatione effectum videmus. Neque desunt similia loca in Sophista, Politico, Republica.

vero nisi verae rerum essentiae cognitio esse potest nulla. Tota enim ad illud quod est, ut est, percipiendum niti debet[34]. Hoc ut fiat, esse aliquid tale, quod semper

---

34) Cognitionem et scientiam Plato eandem esse iudicat; cognoscuntur enim tantum ea, quae vere sunt, ex quo veritatis notitia, quam scientiam dicit, efficitur. Hanc variis nominibus appellat, modo *γνῶσιν* Rep. V, 477. A. modo *ἐπιστήμην* ibid. B. 478. A. *ἐπιστήμην μέν γέ που ἐπὶ τῷ ὄντι, τὸ ὂν γνῶναι ὡς ἔχει.* cll. VI, 508. D. modo *ἀλήθειαν* ibid. E. modo *νοῦν* VI, 511. D. modo *νόησιν* VII, 534. A. modo *γνώμην* V. 476. D. al. Rerum contra, quae sensibus percipiuntur, nulla est scientia sed opinio, *δόξα*. Phileb. 59. B. 61. E. Etenim impulsione (*αἰσθήσει*) concipiuntur, ex qua *δόξα ἀληθὴς* quidem oriri potest sed scientia nulla. Phileb. 39. A. Tim. 27. E. 28. B. 51. D. Quapropter saepissime cognosci posse negantur (*ἄγνωστόν ἐστι* Parmen. 142. B. Phileb. 59. A.), quod ne sunt quidem sed fiunt perpetuo (*γένεσις* Rep. VII, 534. A.). Eiusmodi opinio tum *πίστις* tum *εἰκασία* vocatur Rep. VI, 511. E. — Hanc inter utramque ponitur *mathematicorum scientia* (*διάνοια* Rep. VI, 511. D.), quae quantum distat a vera rerum aeternarum scientia, tantum rerum humanarum opinionem superat et figurarum numerorumque suorum constantia et contemplatione, quae omnis mente conficitur. Est enim numerorum genus, ad quod mathematica omnia tunc referri solebant, et a corporeis et ab individuis rebus aeque disiunctum et inter idearum simplicitatem et corporum turbam quasi medium interiectum, quemadmodum inter notionum formas et corpora singula specierum natura cernitur. Phileb. 18. C. Tim. 53. B. Cui disciplinae quantum Plato tribuerit, perspicitur ex Politico, 285. A. al. Rep. VI, 510. D. E. VII, 526. C. — 531. D. 533. C. 534. D. Atque ex iis, quae in Theaeteto significantur magis quam explicantur (cf. Schleierm. notam ad p. 200. C.), constat, eum numerorum scientiam non ad cognitionem veritatis sed ad opinionis genus revocare. V. Tennemann Syst. I, 270. II, 138. 141. 295. Ac nescio, an verior sit in Phaedr. 248. E. lectio *ἑβδόμη γεωμετρικὸς ἢ δημιουργικὸς* apud Heindorf. quam altera *δημιουργικὸς ἢ γεωργικὸς*, probata illa quidem Ficino, Schleierm. et editoribus novissimis, sed, ut opinor, pau-

maneat idem, ponendum; namque omnia si motu feruntur, quomodo existere potest non dicam cognitio sed adeo perceptio? [35]). Itaque relinquitur, ut cognitio sit essentiae, quae vere est et semper manet eadem, scientia [36]).

---

lulum insolentior in eo loco, quo de variis scientiae gradibus disputans a summae sapientiae ubertate descendit per gradus ad infimae ignorantiae turpitudinem, quam tyrannis attribuit. In quo genere nescio quid admirabile habet haec sententiarum continuatio: princeps dignitate scientiae est philosophus, secundus ab illo rex aut imperator, tertius vir rerum et publicarum et privatarum peritus, quartus medicus, quintus vates, sextus poeta vel imitator quivis, septimus *artifex vel agricola*, octavus sophista, tyrannus ultimus. Exspectabatur, praesertim quum de mathematicis haud magnifice statueret, huius, qui vitae communis munera haud sane nimia doctrina administrat, commemoratio. Sed haec obiter, quae diligentiore disputatione non indigna. Verum enimvero difficilior est tota haec quaestio, si Aristotelis Met. I, 6. XIV, 3. al. respexeris, quam ut in hac libelli mei brevitate confici possit. Hoc unum monuisse satis sit, tantum, quantum Academicis, Aristoteli et Alexandrinis visum est, Platonem numeris non tribuisse et ne potuisse quidem. Quod enim ex scholis vel δόγμασι ἀγράφοις argumentum repeti solet, id quantum habeat auctoritatis ad rationem philosophiae vere Platonicae, qualem in scriptis invenimus, perspiciendam, inter omnes eius rei iustos existimatores dudum constat. Et vero quantopere post Platonem ipsa eius doctrina immutata sit, neminem fugit. V. Brandis l. l. p. 25. 32. sq.

35) Theaet. 179. E. — 183. C. Soph. 248. A. Cratyl. 439. E. Phaed. 79. C. D. Phileb. 61. E. Haec Cicero more suo sic: *Sensus omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quae subiectae sensibus viderentur; quae essent aut ita parvae, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam unum esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia.* Qu. Ac. I, 8.

36) Theaet. 185. C. — 186. C. οἷόν τε οὖν ἀληθείας τυχεῖν, ᾧ μηδὲ οὐσίας; Phileb. 58. A. τὴν περὶ τὸ ὂν καὶ τὸ κατὰ ταὐτὸν ἀεὶ πεφυ-

Hoc rerum genus apud nos non reperiri, quum dubium non sit, quaerendum est penes deum in loco coelesti, ubi nullus est rerum interitus[37]).

§. 12.

At eae res ipsae quales sunt? Num licet mundum concipere aeternum praeter hunc, quem sensu usurpamus, in quo sint nostris rebus omnes et splendidiores et constantiores, ceterum cuius sit eadem natura, idem motus et conversio eadem ut nostri? Qualem quidem in carminibus solent et poetae fingere et mente permoti per quietem adspicere[38]). An id quidem minus recte fit, et cogitandus est ille verus mundus et aeterna universitas non per se esse praeter illud, quod omnium rerum essentiam in se continet, numen, quandoquidem aeterna rerum essentia et veritas non est nisi in notione et ima-

---

κὸς πάντως ἔγωγε οἶμαι ἡγεῖσθαι ξύμπαντας — μακρῷ ἀληθεστάτην εἶναι γνῶσιν.

37) Mythice hoc et dialectice exposuit. Phaedr. 247. C. commemorat *τόπον ὑπερουράνιον* i. e. extra coeli, quod cernimus nos, orbem. Praeter hoc coelum quum corporatum esse possit nihil, relinquitur, esse res illas animatas et simplices. Similiter Phaed. 80. D. E. Veruntamen haec, quae poetice descripta sunt, tantum in universum accipienda; neque verba putide premenda. Magis enim perspicue *τόπον νοητὸν* (Rep. VI, 508. B.) divinarum rerum universitatem dixit. Cf. Empedocl. ed. Sturz p. 257. sq.

38) Mytho in Phaed. 109. A. — 111. B. possit quis in hanc opinionem impelli (Tiedemann. arg. p. 36. 308.), quam Neoplatonicorum natio certatim exornavit. Tennemann. Gesch. d. Phil. V, 237. VI, 128. sq. et al. loc. passim. Creuzer ad Plotin. de pulcritudine, p. XCV.

gine animo concepta? Quarum sententiarum prior poëtis et poetarum imitatoribus est relinquenda, ut quae tum sibi ipsi tum verae numinis notioni repugnet, suscipienda altera et deo et rerum naturae convenientissima. Nam mundus, quem tanquam imaginem, ad quam haec natura rerum expressa sit, cogitamus, non est nisi mundi et rerum mundanarum notio et imago, mente divina concepta. Qui si harum rerum imagines (ἀρχέτυπα vocare solent) continere dicitur, non est hoc ita cogitandum, tanquam si singularum rerum imagines simulacris (ἀγάλμασι) effictas complectatur, ut singulis rebus humanis quasi individua coelestia sive exemplaria respondeant, id quod ne cogitari quidem potest[39]; sed stant *communes et universae singularum rerum notiones* in intellectu divino, quas recte *generum imagines* (ἰδέας, εἴδη) dixeris[40]. Quae praeter mentem di-

39) Qui fuit Plessingii error (*Vers. z. Aufklär. d. Phil. d. ältest. Alterth.* I, 331—333. et eiusdem comment. de ideis Platonis in *Caesaris mem. phil.* III, 110.). Cf. Parmen. 133—135. C. quo loco, si quid video, refelluntur argumenta eorum, qui ideas praeter communem notionem esse per se tanquam res posuissent. Quodsi enim idea quaelibet est per se neque in mente nostra, ne cognosci quidem potest (133. B.), quoniam idearum natura cum hac nostra commune nihil habet. Nec tamen propterea idearum doctrina est repudianda; nam sine constante et perenni rerum essentia, quae in ideis sive generibus inest, scientia est nulla (135. B.). Veruntamen a rerum existentium substantia revocanda est ad notionum genera, quae mente continentur. Id quod deinde Parmenides ipse exemplo illustrat (135. D. E.)

40) Imagines non notiones, quae abstrahendo colligi vulgo dicuntur, sunt ἰδέαι s. εἴδη. Utrumque enim vocabulum quum a videndo sit deductum, *speciem* sive *exemplar* significat. Phaed. 109. B.

vinam sunt nullae[41]). Non sunt tamen hae abstractae notiones ex singulis rerum notis collectae, quarum exilitas et emortua paene vis parum ad divinae sapientiae perfectionem est accommodata, sed essentiae imagines et formae, quas augurando nos suspicimus quidem, sed perspicue vix intellexerimus.

§. 13.

Ad earum notitiam ut nos homines perveniamus, quo rerum, quae sunt, essentiam vere cognoscamus, indaganda est via et ratio. Sensuum auxilio uti non possumus, quoniam in rebus, quibus circumdati vivimus, aut nulla est essentia aut oculorum aciem saltem effugit. Mentis agitatione id consequi velle, nisi ante veritate imbuta fuerit, absurdum est. Opinio enim non scientia ex sola cogitatione existit. Alia igitur quaerenda est ratio. Atqui manifestatione aliqua veritatis divinae opus est, atque ad veri societatem communione

---

esse circa terram multas cavernas παντοδαπὰ τὰς ἰδέας, varia specie. Phaedr. 250. A. σώματος ἰδέα (θεοειδής). Parmen. 132. A. μία ἰδέα, una quasi species totum genus complexa, ubi v. Heind. et Schleierm. p. 410. Tim. 40. A. — Phaed. 76. C. ἐν ἀνθρώπου εἴδει Schleierm. *in menschlicher Gestalt* interpretatus est. cf. Xen. Mem. III, 10, 7. 8. Ac videtur mihi quidem Plato in hoc vocabuli usu sic sibi constare, ut ab eo nunquam plane discederet, sed retineret semper *unitatis speciem* in iis generibus, quae vel ἰδέας vel εἴδη dixisset. Sed de his plura infra. Unum hoc ex Seneca (ep. 58.) addam: *idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum.*

41) Contra statuerunt plurimi ab antiquissimis inde temporibus. Cf. Aristot. Met. VI, 13. 14. SCHULZE de ideis Platon. p. 10—13. TIEDEMANN arg. p. 307. 308. Sed v. Parmen. 132. B.

accedere debemus, si tamen aliqua futura sit eius scientia[42]). Necessaria est, ut breviter complectar, intuitio, ex qua omnis ad animum perlabitur scientia. Iam vero, quae in mente divina sunt, quomodo quis potest intueri et percipere, nisi aut sit particeps divinae naturae aut eius similis. Par enim pari cognoscitur[43]). Ex quo concludendo efficitur hoc, quod unum relinquitur, esse animos hominum e divino genere divinaque scientia imbutos[44]). Fuisse igitur, ante quam in hunc carcerem demitterentur, perennes. Olim imbibisse apud deos veram rerum cognitionem et excepisse rerum formas, in quibus absoluta veritas inesset, universas[45]).

---

42) Phaedr. 247. D. E. 249. E. *πᾶσα ἀνθρώπου ψυχὴ φύσει τεθέαται τὰ ὄντα.* Sympos. 211. A. Quibus mythis si quis fidem negaverit, veriora hunc dicturum esse alia, vix credibile est.

43) Rep. VI, 509. A.

44) Rep. X, 611. E. *ξυγγενὴς οὖσα (ψυχὴ) τῷ τε θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ τῷ ἀεὶ ὄντι.* Sicuti autem per totum mundum quasi intenta est animi intelligentis vis, qua omnia fiunt ordine et lege (Polit. 274. A. D. Phaedr. 246. C. Phileb. 29. C. 30. B. C.), neque potest quidquam sine scientia cognosci, quae nisi in animis nusquam insidet; sic humanus animus, quum intelligat aeterna et simplicia et sit ipse eorum similis simplicitate et aeternitate, necesse est, a simili ortum habeat et sit a natura dei sempiterna profectus (Phaedr. 245. E. sq. Heind. ad h. P. Tim. 30. B. 34. B. — 36. 37. A — C. 47. B. C. Phaed. 76. C. E. *ἦσαν ἄρα αἱ ψυχαὶ κ. πρότερον πρὶν εἶναι ἐν ἀνθρώπου εἴδει χωρὶς σωμάτων καὶ φρόνησιν εἶχον*). Quae sententia Platonis nescio an veritate sua omnem commentorum nostri temporis turbam superet.

45) Hoc ad scientiae genus universum pertinere, ex disciplina Platonica constat. Nam dei ipsius, quum bonus boni idea se manifestaret, et ceterarum rerum per ideas noscendarum notitia olim ad nos pervenit. Quam, quod ex divino genere sumus, nec generati unquam

Quas allatas hic reminisci tum, quum, quae ad illas expressae essent corporum species, sub sensus caderent, et similitudine licet imperfecta pristinae perfectionis et pulcritudinis animum commonefacerent [46]). Disci igitur hic novi nihil; cerni quidem sensibusque percipi multa sed cursim, leviter et quasi ebrie [47]). Divinitus tantum arrepta in mentem posse revocari et illustrari arte dialectica [48]). Hoc est idearum beneficium. His constans

---

nec interituri, oblivisci non possumus. Sui enim quomodo quis obliviscatur?

46) Non sunt quidem apud nos (παρ' ἡμῖν) nisi levissima et paene obscurata (Phaed. 74. E.) rerum divinarum vestigia et quasi lumina, sed vel his mens ac ratio, imbuta formis rerum absolutis et essentia, ad rerum, quae sunt, memoriam excitatur; quod *discere* appellamus. Nam corporis alienigenae natura perturbati, quum primum hanc speciem indueremus, earum obliti eramus aliquantisper (Tim. 43. 44.). Cf. Phaedr. 249. C. 250. A. Phaed. 72. E. 75. E. Wyttenbach. ad h.l. p. 184. Men. 81. B. sq. 97. E — 99. A. Ceterum, quae in Menone de recordatione et pari ὀρθῆς δόξης et ἐπιστήμης ad virtutem communem utilitate dicuntur, primo adspectu non admodum Platonica videntur. Veruntamen de virtute non in universum disputat, sed de *civili virtute*, cuius rationem Meno a Socrate explanari voluerat. Hanc autem vel sine cognitione veri rectae opinionis auxilio coli posse, eiusque parem atque illius in communi vitae commercio esse usum, quum omnino tum hoc maxime dialogo docetur. Quamobrem, quid Astium ad iudicium illud severum de hoc dialogo ferendum impulerit, non video. V. Ast. l. l. p. 394 — 408. Potest enim, si quis alius, hic praecipue Platoni vindicari.

47) Phaed. 79. C. D. Phileb. 39. A.

48) Artis dialecticae in scientia illustranda summus est usus (Parmen. 135. C. D.); pertinet enim tam ad res sempiternas sive ideas, quam ad sensuum cognitionem, quum singula a se discernat, colligat universa et sic errore remoto admoneat nos verae rerum na-

rerum natura cognoscitur. Ut enim quisque maxime arte discernendi singula et colligendi universa ingenium subegerit, ita acutissime essentiam et veritatem viderit, et nanciscetur scientiam. At vero, qui his neglectis vitae prudentiam paraturus, ad cognoscendam rerum naturam accesserit, is profecto opinione et errore pro sapientia utetur [49].

Pervenit igitur vera rerum cognitio a deo et essentiae et scientiae auctore ad animum humanum, divino genere ortum, idearum munere, quarum hausimus notitiam tum, quum apud ipsum deum vitam degeremus

---

turae in animis insidentis (Phaedr. 249. B. Rep. VII, 534. B. C.). Est igitur haec ars quasi mater et nutrix scientiae non solum logicae nostrorum arbitratu verum etiam metaphysicae (Rep. l. l.), quae, tametsi nova et inaudita parere nequeat, tamen, quum omnis scientiae copia cum animo olim sit communicata, obrutam veluti memoriam veritatis inquirendo et disputando eruit et illustrat, ut res aeternas quasi oculis conspicere videamur (Phaed. 83. A. B.). Neque tamen illud ὁρᾶν αὐτῇ τῇ ψυχῇ est aliud quam intelligere cogitando (νοεῖν). Nam ab intuitione rerum divinarum, quam inter nos commenti sunt nuperi quidam philosophi, Plato non minus abhorret quam Jacobius noster falso hoc nomine accusatus. Cf. Phaed. 84. A. Rep. VI, 507. C. 509. D. 510. E. sq. VII, 533. A. Phileb. 58. A. Tennemann Syst. II, 49. not. 72. Neque cernuntur ideae, quod excursu de abstractis rerr. nott. docere conatur vir quidam doctus in Buttmanni ed. Men. III. p. 74—76. Est igitur ἡ τοῦ διαλέγεσθαι δύναμις tota in disputatione, et cogitatio omnis sermone vel tacito secum vel communicato inter plures absolvitur (Theaet. 189. E. Soph. 264. A.). Id quod verborum, quae nihil sunt nisi signa rerum (Cratyl. 439. D. — 440. D. Phaedr. 278. A. B.), ministerio contingit.

49) Soph. 267. ad fin. Politic. 300. E. et passim. Men. 97. A. — 99. A. Sympos. 202. A.

divinam. Quo fit, ut sola cogitatione, nullo sensuum auxilio, quae olim viderimus, nunc repetamus eoque veram scientiam procul ab opinionum commentis remotam habeamus.

CAPUT III.

DE IDEIS.

§. 14.

Iam aliquoties, quum viam atque aditum ad hanc ipsam quaestionem de idearum vi ac natura patefacerem, in earum mentionem incidi. Quod quamvis minus recte a me factum esse videretur, non potuit tamen non fieri, quum disciplina nostri ab ideis profecta in idearum vi et potestate consistat, et desinat eadem in ideas. Ac proposui apud animum, rem tractare sic, ut primum definirem, quomodo Plato ideam interpretatus sit; deinde dicerem de idearum varietate et mutua inter ipsas necessitudine, denique idearum et rerum humanarum rationem explicarem; quibus partibus tota quaestio absolvi posse videtur.

Ac primum quidem vocis ἰδέα origo a verbo ἰδεῖν repetenda est. Quod quum supra (p. 21.) confirmaverim, non est quod nunc uberius persequar. Commemoranda potius est potestatis *speciei* varietas ac difficultas. Etenim ab ea notione quum reliquae vocabuli significationes longissime recedere viderentur, fuerunt, qui Platonem in eius verbi usu sibi non constitisse cen-

serent. Quod ne committeret, prohibuit eum religiosa verborum existimatio. Ac videor mihi posse docere, potestatem vocis ἰδέα quamquam variam ad idem *speciei* genus revocari. Species rei sub oculorum adspectum cadentis est una et integra, atque totam rem imagine concludit. Quod quia non solum oculis contingit, ut rem tanquam unam adspiciant, sed est et mentis proprium, ut acie sua unum semper anquirat et videat, id autem pro natura eius adspectabile nihil habeat, sed sit ex rerum singularum contemplatione in unum intellectus vi collectum et compositum, ideoque *unitas intelligibilis*; hinc est factum, ut unitatis huius species haud insolenti translatione etiam ad mentis agitationem accommodaretur. Namque unitas rerum mente effecta et ipsa habet speciem (ἰδέαν), quippe quum imaginum vis in animo insidens ad cogitandum nunquam non adhibeatur. Est autem haec ipsa unitas communium inter plures res notarum; in quibus notis quoniam inest constans rerum notatio earum naturae conveniens, significat certam ac perennem rerum naturam. Haec sibi constat semper, et est propterea sempiterna rerum essentia. Dici igitur oportet hanc unitatem non unius rei sed plurium, quae similitudine sua ad unam quasi familiam pertinent, communem unitatem (τὸ κοινόν). Quae cum ita sint, suo iure, si quid video, Plato ἰδέαν ad cogitatam unitatem transferens dixit speciem rerum ad idem genus relatarum communem. Unde duplex enata est ἰδέας significatio, altera *generis* sive *notionis communis* (γένους), qua et singula in unum colliguntur, et rerum species non totam notionis

universitatem continentes (formas appellat Cicero) genere comprehenduntur, altera *naturae sempiternae* sive *essentiae*, quoniam generis notione, qualis sit et debeat esse unaquaeque res, simul perspicitur." Ad hanc proxime accedit ea vis vocabuli *ἰδέα*, quum significat rem aliquam, quae certam habet naturam [50]).

Habemus ergo duplicem *ideae* significationem, alteram *speciei unius rei*, quae cernitur, sive *imaginis*, alteram *speciei*, *quae mente intelligendo perspicitur*. Cui subiectae sunt duae formae et *generis* sive *notionis communis* et *essentiae* sive *naturae*. Verum enimvero qui in ultimis his speciei vel imaginis notam ex animo plane dimiserit, eum Platonicarum idearum vim et rationem penitus intellecturum esse vix crediderim. Saepissime enim ideae *formae* rerum efficiendarum esse docentur, quae nisi essent species, quomodo παραδείγματα et ἀρχέτυπα eas habere potuit philosophus?

§. 15.

Hunc loquendi usum in omnibus libris Platonis constanter servari persequendo singula loca docere, longum foret et inutile. Confirmabitur, nisi fallor, sententia mea quum omni orationis perpetuitate tum iis etiam, quae de similibus vocabulis nonnullis dicturus sum.

In his simillimum ac paene idem et natura et usu est εἶδος, quod et ipsum significat speciem aliquam. Constanter autem a Platone pro notione *generis* usur-

50) Tim. 49. C. 70. C. 71. A.

patur, et coniungitur cum voc. ἰδέα saepe sic, ut ab eo vix distingui posse videatur [51]). At videtur tantum. Nam quum omnino a philosophis tum etiam a Platone genus rerum sive notio universa εἶδος dici consuevit. Veruntamen est apud nostrum haec inter utrumque vocabulum differentia, ut, quum εἶδος notionem universam significet, ἰδέα praeterea imaginis notam in se contineat; quapropter ἰδέα cum εἶδος ubique potest permutari [52]), quod notio est communis, quae eadem formam rerum complectitur, εἶδος autem cum ἰδέα non nisi tum, quum in ideis tantum ad genus rerum respicitur. Ut in Parmenide 129. A. εἶδός τι ὁμοιότητος est genus aliquod similitudinis non idea; id quod ibidem (C.) confirmatur addita voce γένος. Ac dicit Socrates, non mirum sibi videri, rem aliquam unum esse et multa, et sibi contraria comprehendere, quod particeps esset unitalis, similitudinis et aliorum. Sed hoc ipsum unum et notiones generales talia pati oportere, idemque generibus mente cogitatis, quod rebus sub adspectum cadentibus, accidere, si quis ostendisset, id esse admiraturum (129. E.). Similiter quod deinceps dicit Parmenides, ad genera referendum (130. B.), num essent

51) Parmen. plur. loc. Soph. 219. A. 254. C. Rep. VI, 510. B. 511. A. B. Euthyphr. 6. D., ad quem locum Fischerus haec verba Diog. Laert. III, 63, adscripsit: πολλάκις δὲ καὶ διαφέρουσιν ὀνόμασιν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ σημαινομένου χρῆται. Τὴν οὖν ἰδέαν καὶ εἶδος ὀνομάζει καὶ γένος καὶ παράδειγμα καὶ ἀρχὴν καὶ αἴτιον. Quod in Diogene quidem ferri potuit, in Platone minime. Phaedr. 265. E. Tim. 50. E.

52) ut in Tim. 39. E. ἰδέαι ἐνοῦσαι τῷ ὅ ἐστι ζῶον.

per se et seiuncta a rebus subiectis singulis. Ubi quum in difficultates se impedivisset Socrates, sic ille pergit: propter hoc sumere videris, unamquamque notionem (εἶδος) per se esse unum. Quum multa tibi magna videntur, una fortasse haec tibi ad omnia respicienti videtur *species* (μία τις ἰδέα), propter quam magna illa unum aliquid esse ducis (132. A.). Ex quo et ex iis, quae sequuntur (132. C. D. 133. C. 134. C. 135. A. B.), apparet, accuratissime inter notiones et species distingui, ut hae praeter notionis vim constanter speciei sive imaginis notam complectantur, illae non sint intelligendae nisi ipsa notionum genera. Neque summa tantum genera εἴδη, sed etiam his subiectae notiones minus late patentes, quas nunc species plerumque dicimus. In Timaeo (53. B.) deus traditur generibus (εἴδεσι) et numeris (ἀριθμοῖς) materiam finxisse, i. e. infinitam materiae molem distinxisse in genera, quae quum singula corpora continerent, numero, quod esset eorum munus, finirentur [53]. Usurpatur autem hoc vocabulum saepissime in rebus humanis, quarum summa est et multitudo et varietas. Quocirca in tanta utriusque vocabuli similitudine cavendum est tamen, ne εἴδη et ἰδέας confundamus. Id quod factum videmus a Platonicis, qui quum Pythagorae numeros cum doctrina idearum conciliare studerent, et genera numerosque a praeceptore coniunctos vidissent, negligerent autem discrimen generum et idearum, praeter indolem verae

53) Cf. Phileb. 18. C. Parmen. 149. E. Phaedr. 249. B. Rep. VI, 510. D. VII, 532. E. X, 596. Et pluribus locis Theaet. et Soph.

disciplinae domesticae numeros appellarunt genera ideasque, et inepta multa inde deduxerunt. Quod idem Aristoteli *ἀγράφας συνουσίας* sequenti accidisse est verisimile [54]).

§. 16.

Praeterea considerandum vocabulum *γένος*, cuius eadem *generis* est potestas. Copulatur et hoc cum *ἰδέα* et *εἶδος*, ut in Parmen. 129. C. *γένη καὶ εἴδη* Tim. 50. E. 57. D. Sed longe dissimili ratione. Interpretandum enim in omnibus locis genus sive familia aliqua rerum notione concepta, ut in Soph. 217. A. 218. D. E. Cui quae subiectae sunt formae, appellantur *μέρη*, Phil. 12. E. Igitur cum *γένος* permutari nequit *ἰδέα*.

Neque magis cum voc. *δύναμις*, quo significatur tum vis, qua fit aliquid (Rep. V, 477. C. D.), tum vis ac natura rei cuiusdam, qua est sic ut sibi convenit (Rep. VI, 508. A. Tim. 45. E. 60. A.). Quod ubi coniunctum legitur cum *ἰδέα* ut in Tim. 28. A. Rep. l. l., hanc accipi debere essentiam, non est quod multis doceam. Id meminisse opus est, notionis semper sibi constantis specie naturam et essentiam rerum significari, ideam ergo rei eandemque esse rei naturam ut in Phaedr. 246. A.

---

54) Cf. Brandis. l. l. p. 28—48. Etenim Aristotelis in referendis aliorum placitis haud summam esse religionem, libris eius diligentius excussis confirmatum iri probabile est. Vide, quae Schleiermacherus in Heraclito (p. 469.) in eum dixit.

Proxime autem ad ideae vim accedere voc. *οὐσία*, ex iis, quae ante dixi, patet. Utrumque enim essentiae signum. Quo pertinet locus in Parmen. 135. B., ubi *γένος* et *οὐσία* ut genus et natura rerum constans componuntur [55].

Illud autem ab Aristotele dictum (Met. I, 6. p. 16. Sylb.), ideas easdem esse et numeros, tantum abest, ut locis librorum Platonis idoneis defendi possit, ut prorsus negari debeat. Nam quod refert de materia idearum, exstitisse eas ex magno et parvo tanquam ex elementis (*στοιχείοις*), formamque (*οὐσίαν*) earum esse unum (*τὸ ἕν*), et propterea, quod ipsius unitatis essent participes (*κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνός*), ideas esse numeros (*τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς*), id propter ambiguitatem vocis *οὐσία* vereor, ut Platonice dixerit. Etenim formam rerum Plato an usquam *οὐσίαν* appellaverit, affirmare non ausim. Aristoteles quidem hoc sensu intelligit, ut Met. VII, 3. p. 106. Quod quum etiam hoc loco admiserit, speciosam Platonicae et Pythagoricae disciplinae concentionem effecit. Ac Plato quidem, ideas complecti rerum *οὐσίαν* sive essentiam perennem, docuit, numeros Pythagoras. Iam ille ideas rerum principia constituit, alter numeros. Atqui unum est essentia (*τὸ ἓν οὐσία ἐστί*), quod vel sic, ut unum vere ens sit, vel ut unum forma dicatur, accipi potest. Igitur, quod idea et numerus pariter et unum et *οὐσία* sunt, propterea cum Pythagora Plato consentiens re

55) De usu voc. *οὐσία* apud nostrum v. Heindorf. ad Phaed. p. 41. ad Theaet. p. 436. Wyttenbach. ad Phaed. p. 245.

verbis dissentit. Qui quidem consensus qualis sit, facile perspicitur. Nimirum suo more Aristoteles verba aliena interpretatus vocum non rerum concinnitatem invenit. Sed redeundum erit infra ad hunc locum, cuius ratio, postquam idearum naturam explanavero, facilius intelligetur.

Quodsi id quidem verum est, ut idea intelligi debeat forma rerum universa, in qua sempiterna earum essentia et natura apparet, falsi esse deprehenduntur ii, qui praeter notiones universas ideas esse aliquid negarunt. A quibus notionibus constanter discerni ideas nemo quisquam, qui legerit libros Platonicos diligenter, infitias ibit [56].

§. 17.

At vero qualis est harum idearum natura? Hanc recte ex mente nostri explicuisse plurimum necesse est referat eius, qui et rationes earum plane sit intellecturus et doctrinam Platonicam a criminibus in eam coniectis defensurus. Iam vero id primum constat, esse earum naturam, quum inter ea, quae mente percipiuntur, referantur, *simplicem.* Quamobrem appellantur *τὸ μονοειδὲς, μονοφυὲς, καθαρόν, εἰλικρινὲς, ἀσώματον* et aliis pluribus nominibus, quibus quidquid seiungitur a materia, significari solet. Et vero quod mate-

56) V. Schulzium l. l. p. 11. Moshem. ad Cudworthi syst. intell. p. 661. 662. Meiners. hist. lit. apud Graec. et Rom. II, 801. Tennemann. Syst. II, 106. 118. et, qui hunc presso pede sequitur, Faehsius in disp. de ideis Plat. p. 12. 43.

riae sit plane expers et a generatione et compositione remotissimum, id simplex (ἁπλοῦν) esse oportet. Nec potest fieri, ut mentis conceptui et materiae aliquid sit commune. Tametsi vero hoc ita est, tamen simplex haud intelligitur illud, in quo nihil amplius distingui possit, quodque totum sit unum et omni qualitate destitutum, quale praeter nihil ne fingi quidem potest quidquam [57]. Ac formas, quae omnes rerum virtutes contineant et principia adeo sint omnis essentiae, concipere nihili simillimas, nullo pacto convenit. Intelligi igitur debet simplicitas illa tanquam materiae immunitas, quum aliud vocabulum, quo animi et rerum divinarum vis describi possit, praeter simplicitatem reperiatur nullum.

Est autem simplex haec natura tota *una* atque *individua*, sive ad numerum sive ad ipsam naturae suae rationem respiciatur. Quaevis vel notio vel generis species infinitam rerum subiectarum multitudinem in unum colligens est una, neque duae sunt eiusdem generis notiones; igitur cuiuslibet notionis nonnisi unus est numerus [58]. Ut est bonum unum, una virtus, pulcritudo una [59]. Quae quidem numeri unitas ac simplicitas latius etiam patet. Etenim quod a sensu

57) Fecit tamen Appuleius (de dogm. Plat. I. p. 190. ed. Oudendorp.) Initia rerum esse tria arbitratur Plato: Deum et Materiam rerumque Formas, quas ἰδέας idem vocat, absolutas, informes, *nulla specie nec qualitatis significatione distinctas.*

58) Aristot. Met. I, 6. p. 16. *τὸ δὲ εἶδος αὐτὸ ἓν ἕκαστον μόνον.*

59) Sympos. 211. A—C. Phileb. 15. A. et Gorg. Phaed. plur. loc.

plane est remotum, neque ex partibus aut articulis (quae corporum est natura) concrevit, vere unum dici debet atque individuum, ut quod nec dividi unquam possit nec discerni [60]). Unde efficitur, unum illud intellectu tanquam formam atque simulacrum conceptum, quum nihil a natura sua alienum in se habeat, semper esse *unum* et *idem*, igitur essentiae ac naturae perpetuo sibi constantis esse particeps, mutationis autem plane expers [61]).

Quapropter ideas ob naturam suam esse unitates (*ἑνάδες*) perfectas [62]) et semper easdem; quum ex

60) Soph. 245. A. *ἄμερες δήπου δεῖ παντελῶς τό γε ἀληθῶς ἓν εἰρῆσθαι.*

61) Cic. Qu. Ac. I, 8. Qu. Tusc. I, 24.

62) Phileb. 15. A. B. *μονάδες* 56. D. Haec et alia nonnulla vocabula et praecepta e Pythagoreorum disciplina Platonem mutuo sumsisse contendit Astius (l. l. p. 294.). Plurimi enim fecisse illorum hominum sapientiam. Neque potest negari, quod Astius idem pluribus locis (p. 105 — 107. 139. 157 — 165. 188. 341. 344. 352. 367 — 370.) doctissime persecutus est, permulta Pythagoreorum praecepta apud nostrum commemorari et in suum usum converti. Attamen haec omnia, nisi fallor, ita sunt comparata, ut summam Philosophiae Plat. tangant illa quidem, sed non efficiant. In tanta enim huius disciplinae praestantia et perfectione fieri non poterat, ut aliena principia sequeretur is, qui ab arte dialectica profectus plane aliam ac diversam philosophiae rationem nactus esset, quum alii aut in naturae contemplatione aut in numerorum rationibus ducendis defixi universum mundi complexum suo modo intelligere studerent. Quapropter per se quoque et invenisset et proposuisset, quae ab illis Heracliteis, Pythagoreis, Eleaticis, aliis sumsisse videri possit, etsi illorum praecepta in causa fuisse, quod de iisdem ut illi rebus sententiam diceret, non est negandum. Veruntamen alias similitudo non nisi in verbis

his tum ex eo perspicitur, quod essentia rerum aeterna intellectu comprehenditur, is vero utpote divinae naturae similis nec gignitur nec interit unquam.

§. 18.

At vero tum inter se ideae rerum discrepant, tum unaquaeque praeter unitatem complectitur aliquam multitudinem. Etenim et discernitur virtutis idea ab homine, animali, motu, aliis, ac variis notis vel signis ipsa conficitur. Ut in virtute voluntatis, honesti et constantiae notiones comprehenduntur. Non enim per se solum est (*ἐν ἑαυτῷ*), sed refertur etiam ad alias ideas (*πρός τι* cf. Soph. 251. D. sq.). Quam ob rem idea est *ἓν καὶ πολλά*. Sed ipsa haec multitudo duplici modo intelligitur tum proprietatum tum formarum generi subiectarum. Id quod exemplo fiet clarius. In Sophista (251. A. — 259. D.), postquam summa de essentia rerum dubitatio et difficultas exstiterat, denuo de eadem re disputatio sic instituitur, ut ponantur quinque genera: ens, motus, quies, idem et diversum. Quorum quidem, si per se intelligitur, unumquodque

---

inest, sensu discrepante, alias praeter verba res quoque ab istis repetitae videntur. Quae quidem omnia adeo facta sunt Platonice, ut sua tantum secutus dici debeat. Atque nostro loco (Phil. 15.), etsi nulla unquam Pythagoreorum familia exstitisset, ideae et *ἑνάδες* et *πέρας* dici debebant; neque Plato, ut et olim et nunc quibusdam visum est, propterea quod similitudine antiquiores philosophos attingit, aut ab illorum auctoritate pependisse aut sectator eorum fuisse iudicandus, quippe quum vel in maxima orationis convenientia dispar sit Platonicae disciplinae ratio.

est ens et idem, si ad alia refertur, non ens et diversum. Est igitur motus et ens et idem et diversum, et similiter reliqua. Nec tamen singula ex his aut omnia sunt aut nihil. Ex quibus, quod volumus, efficitur, quamlibet ideam esse *ἓν καὶ πολλά*, sive unum et multa, quod variae in ea insunt proprietates. Quod magis perspicue dicitur *ὂν καὶ μὴ ὄν*. Itaque, ut scholastice brevitatis causa dicam, complexus ideae (i. e. proprietates, quibus notio tanquam una absolvitur) comprehendit unum et multa sive varia, neque est ita simplex, ut in ea nihil quidquam cogitando discernatur. Aliud eius rei exemplum in Parmenide (129. B.) legitur. Non mirum, ait Socrates, esse, si quis res, quae similitudinis et dissimilitudinis notionum participes essent, ipsas sui dissimiles aut unum et multa propter eandem caussam diceret. Id vero magnum et praeclarum videri, ipsam similitudinem sui dissimilem et ipsum, quod esset unum, multa atque invicem multitudinem esse unum, ostendere (*εἰ ὃ ἔστιν ἕν, αὐτὸ τοῦτο πολλὰ ἀποδείξει καὶ αὖ τὰ πολλὰ δὴ ἕν, τοῦτο ἤδη θαυμάσομαι*). Hic non de multitudine specierum et formarum uno genere comprehensarum dici, sed de varietate et differentia notionum in una notione (*ἰδέᾳ*) copulatarum, ex loci ratione apparet. Namque ipsa genera et notiones (*γένη καὶ εἴδη*) inter se copulari et *μετέχειν ἀλλήλων*, et contra distineri ac disiungi debere, difficile est ad docendum. — Iam vero praeter hanc ideae unitatem et multitudinem altera potestatis, qua subiectas generi formas continet (Phileb. 12. E.), reperitur, veluti quum virtuti subesse virtutum formas dicimus, ut constantiam, moderatio-

nem, fortitudinem. In quo genere ab universis per partes euntes ad singula descendimus. Cuius rei exemplum est in Philebo (16. C. — 18. D.). Divinitus, ait Socrates, nobis traditum est, quaecunque sunt, ea ex uno et multis exstitisse, infinitatemque et definitionem (ἄπειρον, πέρας) in se coniuncta habere. Quae quum ita sint disposita, oportet nos cuiuslibet rei unam semper notionem (μίαν ἰδέαν) positam quaerere; quam si arripuerimus, deinde post unam, utrum duo insint, videre; sin id minus, an tria aliusve numerus; et similiter in singulis ex hoc genere, donec primum illud unum non solum unum (ἓν) esse et multa (πολλὰ) et infinita (ἄπειρα), verum etiam quam multa, viderimus; infinitatis autem notionem ad multitudinem non adhibere ante, quam eius numerum inter infinita et unum interpositum plane perspexerimus; tunc autem singularem ex omni unitatem (ἓν ἕκαστον) ad infinitatem abiicere dimissam [63]). In quo loco quis est, qui non videat, Socratem haec praecipere, in instituenda omni disquisitione anquirendum esse primo summum earum rerum, de quibus ageretur, genus (ἰδέαν), quo tanquam uno reperto, distribuendo in formas et partes rerum (τὰ πολλά), procedendum ad singula (τὰ ἄπειρα), quae et ipsa velut unitates partibus subiicerentur. Idem vero in partibus explicandis esse negotium, videre, utrum et quot singulae alias ipsae formas, an non, subiectas

63) Cf. ad. h. l. STALLBAUM. p. 31 — 33. et in prolegg. ad Phileb. p. L — LIII.

haberent. Gradatim sic ab universis ad singula descendendo absolvi disputationis subtilitatem.

Haec Plato de uno et multis, quae in ideis inesse reperiuntur, praecipit. Qui quum πέρας et ἄπειρον in rebus inveniri dicit, id interpretandum est sic, ut modus (πέρας) tum in unitate definita tum in iis, quorum numerus iniri potest, appareat, ἄπειρον sive infinitas rerum singularum sit proprium. Cum quibus componenda sunt, quae supra (p. 18.) de numerorum vi et indole diximus.

Verum enimvero in singulis adeo rebus (τὸ ἄπειρον) unitas et multitudo cernitur, ut quum hominem quendam appellamus magnum et parvum, gravem et levem, formosum et deformem et alia multa (Phileb. 14. C. Soph. 251. B. Parmen. 129. A.). Tunc est quodammodo unum (ἕν τι) idemque multa, quoniam est particeps notionum magnitudinis, gravitatis, al. Id quod non sic dicitur, ut plures formas, sed ut proprietatum aliquam multitudinem habeat, sitque ὂν καὶ μὴ ὄν (Soph. 259. C. D.).

§. 19.

Hanc de uno et multis doctrinam si vere enarravero, intelligatur, spero, quo sensu et idearum et singularum rerum defendatur esse unitas et multitudo, praesertim quum et dudum ante et Platonis maxime temporibus quaestio illa de uno et multis a doctis indoctisque agitaretur (Phileb. 17. A. Soph. 251. B. 259. C. D.), nec videretur esse, quomodo res illa adeo litigiosa non modo componi sed etiam in intelligentiae

usum aliquem converti posset. Etenim quum triplex huius formulae (ἓν καὶ πολλά) sit potestas, qua tum ad genus et speciem, tum ad idem et diversum in notionibus, tum denique ad rerum humanarum universitatem et multitudinem refertur, et quum repugnare sibi ipse videretur, si quis id, quod vere unum esset, propter multitudinem suam negaret unum; factum est ut docti homines, quin sensum formulae percepissent perpetuo eam iactarent. Accessit igitur ad decernendam rem Parmenidis subtilitas. Qui ubi intellexerat, unum quod esset (τὸ ὄντως ἕν), et esse debere simplex, aeternum et idem, neque esse uno plura, neque praeter illud quidquam exsistere, id autem quum ad omnes omnino res pertinere iudicavisset, huius sententiae tam veritate quam difficultate adductus est eo, ut singularem hac de re opinionem proponeret. Iam id quidem, praeter illud vere unum (τὸ ὃ ἐστι ἕν) nihil esse proprie, concedi oportet. Atqui sensibus non unum aliquid, sed multitudo rerum in oculos incurrentium percipitur. Quas quidem esse credimus. Quapropter quum sensuum mentisque iudicii discrepantia conciliari non posset, repudiata illorum temeritate omnem veritatem in rationibus mentis et intelligentiae posuit. Itaque intellectu cognosci veritatem, speciosam fraudem concipi sensibus. Ex quo magnificum illud ἓν εἶναι τὸ πᾶν ortum (Parmen. 127. E. Arist. Met. III, 4. p. 45, 4.)[64]). In eo viro quoniam divina paene inerat subtilitas ac sapientia, ut qui omnium primus veram

64) Cf. Brandis, comment. Eleat. p. 137. 149.

essentiam in mentis rationibus atque ideis inesse vidisset, quamquam totam eius rei vim et rationem non penitus perspexisset, secutus est eum Plato in iis, in quibus id fieri par fuit, et quidem sic, ut eum, qui ipse esset divino ingenio, convenit. Tametsi vero summus ille vir simulacrum aliquod veritatis conspexisse iudicandus est, tamen non modo perfecit, quod instituerat, sed ne distribuerat quidem in sua rem genera. Inchoatam igitur a Parmenide disputationem de *uno* (περὶ τοῦ ἑνός), suscepit noster, atque in eo dialogo, cui illius nomen inscribitur, ad finem perduxit. Hoc quum dico, quantum id sit, probe sentio. Ac non possum quin huius de uno sermonis rationem, in qua exponenda adhuc summi viri si non frustra at cum exiguo fructu elaboraverunt, denuo explicem. In quo si aliquid humani mihi acciderit, fore spero, ut error meus proxime redarguatur. Paratam enim habet collega amicissimus, Godofr. Stallbaumius, editionem Parmenidis propediem prodituram, in qua quantum vir sagacissimus praestiterit tum ad intelligentiam Parmenidis tum ad perspiciendam universam Platonicae philosophiae indolem, docti omnes ex Philebo, quem idem nuper expolivit, coniicient. Cuius quidem viri benevolis consiliis in hac ipsa quaestione aliquantum me debere, lubenter profiteor.

§. 20.

Hac autem in disputatione quum tanta ambiguitatis, difficultatis et variarum opinionum vis in me incurrat, ut, si sub examen vocarem omnia, ex hoc

contentionis pelago emergere vix possem, satis habebo, omissa alienarum sententiarum notatione, summam rei persequi.

Ac primum quidem hoc bene meminerimus oportet, quum in Parmenide de idearum essentia et rationibus disseratur, et sic quidem, ut esse earum vim et gravitatem in universa philosophia summam defendatur, in ea quaestione inesse debere summum huius dialogi finem. Ad quem finem pertinent omnia ac singula. Quapropter commentationis illius *de Uno*, quae tanquam exemplum perfectae quaestionis dialecticae proponitur, non potest ullo pacto praesertim in tanta eius amplitudine (p. 135. C—166.) id esse summum consilium, ut exemplum aliquod dialecticae vel Eleaticae vel eristicae vel denique Platonicae exhibeatur. Abhorrere enim Platonis ingenium ab arte adeo nugatoria, qua sibi repugnantia nectendo lectores eluderet, quivis Platonicae disciplinae intelligentior sentiet ipse. Tantum igitur abest, ut contrariis sententiis inepte componendis lusisse aut nugatus adeo esse videatur, ut hoc ipso Parmenidis sermone idearum vim ac naturam penitus explanaverit.

Hanc orationem ut recte intelligamus, praemonendum est, *duplicem* subiectam esse potestatem notioni et *Unius* et *Essentiae*. *Unum* enim est tam *res aliqua singularis*, cuius unitas partium concinnitate absolvitur, quam *idea* (ἰδέα, εἶδος), quae vere unum est dicenda. Eadem est *Essentiae* ratio, qua et *res*, *quae vere est* (τὸ ὄντως ὄν) sive semper est eadem, et *res aliqua* intelligitur, *quae*, quum oriatur, mute-

tur et intereat (τὸ μὴ ὄν), *esse videtur.* Igitur non uno sed duplici sensu Plato Unitatem et Essentiam accommodate ad disciplinae suae indolem usurpavit.

Est autem disputationis ratio haec. Quaeritur, si multa esse sumuntur, quid accidere necesse sit et multis tum per se tum ratione unius habita et similiter uni per se et multorum ratione; contra, si non sunt multa, quid eveniat tum uni tum multis et per se et ad multa (136. A.). Quod deinde revocatur ad quaestionem de Uno ipso, sive unum sit sive non unum, quid efficiatur (137. B.).

Iam vero *unum* si est (εἰ ἓν ἔστι) neque praeter id quidquam aliud, estque id sic unum, ut omnis appositio alterius tollatur, efficitur, ut sit nec totum nec pars, nec stabile aut mobile, nec formatum aut informe, nec idem aut non idem, et quae necessario in unitate omnino infinita eveniunt. Est igitur plane infinitum et indefinitum (τὸ ἄπειρον), et quum forma, natura et essentia careat, propterea ab omni cognitione remotissimum (ἄγνωστον) 137. D.—142. B. Haec si quis diligenter perpenderit et composuerit cum iis, quae in Timaeo (p. 20. 49. A.—50. C.) de materia rerum et in Philebo (p. 23. C. sq. cf. Stallb. ad h. l. p. 57—66.) de infinito dicuntur, dubitare non poterit, quin spuria haec unitas, cuius praeter unitatem nulla est proprietas, sit Zenonis [65]) et Megaricorum (Soph. 251. B.) illud unum, cui adiungi tanquam proprium prorsus nihil poterat, vel potius *nihil.* Quod ne nihil

65) Tennemann Gesch. d. Ph. I, 202.

absolutum interpretemur, vetat ipsa huius loci ratio. Quocirca relinquitur, ut unum hoc, quod vulgo crepitabant, non sit nisi rudis indigestaque materiae moles, quae eadem, quoniam est formae et naturae ideoque constantiae et verae unitatis expers, est quidem, sed vix ac ne vix quidem spurio argumento (νόθῳ λογισμῷ)[66]) esse concipitur. Neque fieri potest propterea,

---

66) Tim. 52. B. Quae verba (λογισμῷ τινὶ νόθῳ) quot et quantas inter viros doctos turbas moverint, vix dici potest. Cf. Tennemann Syst. II, 239. not. 71. III, 35. not. 23. Gesch. d. Ph. Vol. VIII. t. I. p. XXXII. sq. Schelling Ph. u. R. p. 52. Boeckh in Stud. III. p. 26. sq. Ast. l. l. p. 363. Sunt enim difficillima. Et primum quidem quaeritur, utrum de spatio (χώρᾳ) tantum an de materia etiam cum spatio intime coniuncta intelligi debeant. Distinguuntur nimirum tria rerum genera, ex quibus universus mundus exstiterit, τὸ ὄν, ἡ χώρα καὶ ἡ γένεσις. Quorum illud ens verum ac perfectum ad ideas referendum esse, constat; γένεσις autem, ut supra docuimus, atque ex hoc ipso loco patet (50. C. D. 52. A. cll. 27. E. 28.), sunt res generatae et ex materia fictae. Illud vero, quod tanquam mater et nutrix (30. D. 52. E.) omnium rerum semina continet, formasque rerum ex ideis expressas in se recipit, utrum materiae rudis copia an spatii inanitas sit, quaeritur. Iam de spatio a materia seiuncto cogitari nequit, quod elementorum semina complecti dicitur (52. D. E.); haec autem corporata sunt, quanquam nondum formata. Igitur spatium et materia rudis est idem. In quo licet cum Astio (p. 364.) consentiam, addam tamen aliquid de utriusque generis discrimine. Appellatur quidem informis ista materia (50. D. — 53. C.) τὸ τῆς χώρας, χώρα, ὑποδοχὴ πάντων, πανδεχές, sed non est propterea nihil nisi spatium. Etenim materiae tribuenda est spatii notio tanquam proprietas, atque adeo est illa in spatio, in quo rerum elementa sine ordine huc illuc moventur (53. A.), sive est spatiosa, nec tamen incorporea (ἀσώματον) eo sensu, quo ideae et cogitata sic dicuntur. Quapropter hic mihi quidem sensus esse videtur Platonis, ut indi-

ut non modo ratione et intelligentia sed ne opinione quidem et perceptione cognoscatur (142. A.).

Iam vero si *est* unum (*εἰ ἓν ἔστι*), sive si formis ac legibus naturam suam nactum est; quia sine formae imagine, qua unitatis singularum rerum species exsistit, esse nulla res potest, consequitur, unum hoc concipi quidem mente tanquam unitatem (*ἕν τι*), esse autem multa (*τὰ πολλά*). Quae quum inter se proprietatibus differant, ut alterum sit hoc aut illud, alterum ab eo diversum, et singularum rerum natura a se distet, esse et non esse (*εἶναι καὶ μὴ εἶναι*) sive diversis formis et generibus (*εἴδεσι*) a se invicem distingui omnia, manifestum est. Cadunt in hoc rerum genus spatii et temporum, mutationis, generationis, compositionis et destructionis et eorum, quae in rebus fluxis atque labentibus fieri consentaneum est, rationes. Quo fit, ut et sit Unum hoc et non

---

gesta illa materiae moles sit in spatio, incorporea, quod certis corporum formis etiam tum careat (50. D. E. 51. A.), proptereaque invisibilis (51. A.) et quasi intelligibilis (*μεταλαμβάνον ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ* 51. B.), aeterna et constans in suo genere (30 A. 50. A.), et omnino sit difficillima ad definiendum (51. A.). Cognoscitur igitur neque opinione et perceptione ut res formatae, neque cogitatione ut ideae; sed spurio quodam ratiocinio (*λογισμῷ τινὶ νόθῳ*), quoniam ad idearum rationem aliqua saltem similitudine accedit, esse informatur. Quod ratiocinium quum plurimi falsum et perversum intellexerint, non tamen sic accipi debere propterea arbitror, quod cogitari saltem debet materia tanquam rerum omnium subiectum. Igitur analogice potius, ut Pseudo-Timaeus Locrus p. 94. B. explicuit, cognosci materiae substantiam duxerim. Nam cogitatur quidem materia, neque vero cogitatione sicut ideae, qualis sit, perspicitur.

sit; quomodo enim ea, quae permutationes et vicissitudines subeunt, vere possint esse? Quod quidem utut est, tamen cognosci potest opinione (δόξῃ) et perceptione (αἰσθήσει); ex quo pertinere scientiam (ἐπιστήμην) ad opinionem de eiusmodi rebus definiendam cogitur.

Admirabilem hanc de Existentia Unius illius commentationem tredecim paginis (142. C. — 155. D.) absolutam si quis attente et diligenter perlegerit, is profecto et subtilissimam et verissimam eam iudicabit. Neminem enim latere iam puto, de quo Uno dicatur. Est haec rerum in sensus incurrentium universitas, quam dicimus mundum, qui cernitur, qua ut omnes res singulae licet diversissimae comprehenduntur, ita unum illa appellatur. At speciem tantum unitatis praebet, ut supra (p. 39.) docuimus. Quamobrem et *essentiae* eadem est ratio. Non est, quodcunque mutationi obnoxium (τὸ γιγνόμενον) invenitur; quod quum esse tamen perhibetur, non illud vere sive non semper est unum et idem, quod constat sibi nunquam, sed fit continuo, neque nisi articulum temporis, quod *momentum* dicimus (τὸ ἐξαίφνης), durat (p. 155. E. — 157. B.) Ex quo, quantum tribuendum sit Heracliteae doctrinae, fluere omnia nec consistere quidquam, et quam late pateat, intelligitur.

Haec si cum iis, quae supra de vera rerum essentia, quae in ideis cernitur, et de existentiae rerum humanarum natura proposuimus, comparentur, nisi fallor, perspicietur, hoc unum, quod est (τὸ ἓν ὄν), idem reperiri quod πεπερασμένον illud in Philebo (p. 23.

C. τὸ ξυμμισγόμενον), vel materiam rerum legibus et modis (πέρασι) temperatam.

Utrum vero in universum haec a Platone disputata sint, an respexerit certam quandam philosophorum opinionem, affirmare in promtu non habeo; nisi forte Anaximandri et Physicorum commentitiam universitatem perstrinxit [67]) Etenim neque Parmenidi neque Platoni hanc sententiam, qua confunduntur omnia in unum, nec coniunguntur aut disiunguntur, tanquam veram tribui licet.

§. 21.

Quam unitatem Parmenides adhuc per se et solam persecutus est, eam nunc ad *multa* ita refert, ut unum et multa tanquam *unum* et *non unum* opposita esse appareat. Quaerit autem hoc: qualia convenit esse alia (τὰ ἄλλα), si est unum?

Et haec quidem si opponuntur ei, quod, quum modum et finem in se habeat, est vere unum et idem, reperiuntur esse multae, in totum quoddam (ὅλον) coniunctae partes. Quod quoniam ex partibus consistit, est *totum* et sic *unum* quodammodo, nec tamen unum omnino (παντελῶς ἕν 157. C.) Partes vero totius sunt partes, eaedemque ipsae tota et unitates quaedam (ἕκαστον ἕν ἐστι 158. A.), igitur participes verae unitatis, etsi non ipsum unum (αὐτὸ ἕν). Quamobrem per se quidem hoc rerum genus, quum ab uno diversum sit,

67) Tiedemann Geist d. sp. Ph. I, 49—61. Tennemann Gesch. I, 65—73.

nihil est aliud, quam multa, infinita (ἄπειρον) et perpetuo dividua sine lege aut forma. Quo si unum illud accesserit, materiam inconditam digesserit, coniunxerit forma ac regula, ex infinito et finito (qui finis dicitur τὸ ἕν) tertium quiddam mixtum et finitum, quod aliis quoque modum affert, exsistit (158. D.) Ex quo efficitur, alia illa (τὰ ἄλλα τοῦ ἑνὸς) praeter unum esse omnino et infinita et modo temperata; ex quo humanarum rerum diversitas et varietas originem habet (157. B.—159. A.).

Haec obscura iam esse non possunt, si eorum, quae supra exposita leguntur, recordemur. Unum enim (τὸ ὄντως ἕν), quod aliis infinitis opponitur, non est nisi ideae unitas (τὸ πέρας Phileb. 23. C.), cuius beneficio, id quod post confirmabitur, modus et finis communicatur cum materia, natura sua informi et infinita.

At vero haec quum ex antecedenti disputatione (142—157. B.) constarent, pergit quaerere, quid aliis, ab unius societate penitus separatis, accidere necesse sit (159. B.—160 B.). Ponendum autem, utrumque ab altero plane abesse, quod tertium aliquod genus, quo invicem copulentur, cogitari nullo modo potest. Universitas igitur rerum hac sententia: unum et praeter unum cetera, pronunciatur. Itaque consequuntur haec. Sunt plane separata; atqui unum illud vere et omnino unum (τὸ ὡς ἀληθῶς ἕν 159. C.) partium est prorsus immune; ergo nec totum nec partibus cum caeteris (cf. p. 130. E.—131. E.) communicatur. Quae sic quidem nec habent nec sunt unum aliquod, neque ideo multa aut definita ullo numero (ut qui sine

unitate ne cogitari quidem possit), neque variis proprietatibus, nec ulla vi praedita esse evincuntur. Sunt igitur prorsus nulla, et Unum illud est rerum universitas (ἓν τὸ πᾶν), ac ne ipsum quidem est, neque per se, neque si ad alia referatur. Atque hoc loco a Parmenide suam ipsius de Uno sententiam subtilissime proponi, quis est, quin cum omnino tum in ultimis verbis videat [68])? Perspicue namque hoc, ideae unitatem esse vere, et complecti omnia quae sint, hoc est se ipsam, ut praeter quam sit ne unum quidem, docetur. Transfertur enim unitas a rebus singulis ad universi notionem, cui soli aeterna essentia et unitas tribuitur. Praeter quam quum nihil sit, quod ei tanquam proprium adiungi aut ab ea discerni queat, ne ipsa est quidem, ut Zeno docuerat [69]).

Et sane, quantum sit singulis ex quatuor his de uno propositis sententiis tribuendum, paene sua sponte patet. Prima se ipsa redarguit, alterius aliquod ad veritatem cognoscendam est momentum, tertiae in scientia comparanda summa est gravitas et propter veritatem utilitas, minor Parmenideae ultimae, quam cur Plato non assumserit, ex rationibus suae doctrinae constat [70]).

68) Tennemann Gesch. I. 169—176. Brandis comment. Eleat. I. 133—137.

69) Tennemann Gesch. I. 202. Arist. Met. III. 4. p. 45.

70) Schleiermacherus (T. I. Vol. II. p. 92.) hac de re haec: huius dialogi ratione adactos esse multos, ut Platonem exemplum falsae dialecticae exhibere voluisse, immo vero ipsum Parmenidem suam et Zenonis de uno doctrinam refellentem induxisse, arbitra-

§. 22.

Conversa iam disputatione ad quaestionem oppositam alteri, ponitur, *unum non esse.* Quid inde concludendo efficitur? Ac primum quidem *unum* hoc non est ideae unitas, sed rerum singularum, quae apud nos sunt et quorum intuemur oculis speciem; et *non esse* idem atque ab aliis diversum esse ponitur. Qua re definita intelligitur, quaestionem hanc agitari, quid in singulis rebus, si inter se diversae sint, eveniat. Id enim tanquam concessum ponitur, alio sensu quam hoc accipi non debere non ens [71]). Ex quo consequitur, *unum* hoc *non ens* cognosci et ab aliis differre, esse igitur aliquid multisque proprietatibus praeditum, siquidem unum illud neque aliud quoddam, cui idem unitatis nomen tribuendum sit, esse negetur (161. A.). Hoc cum diligentissime Parmenides cavisset, ne praeter hoc unum, quod ab aliis distinguitur, aliud unum (vere unum) intelligeretur, attribuit ei societatem cum aliis, similitudinem sui et differentiam ab aliis, itaque modorum rationes (161. E.) et essentiam adeo. Est enim vere sic, ut dictum est, vel reperiuntur haec pro-

---

rentur; quae quidem, qui totum recte perspexerit, vix posse probare. P. 98. ne cogitari quidem posse, ait, Parmenidem iis, quae in unitate sibi repugnare videantur, se ipsum refellere. Omnino enim in hoc Platonis opere sententiam de doctrina Parmenidis nullo pacto esse quaerendam (p. 99.). In quibus Schl. verbis, quum argumentis idoneis confirmentur nullis, non minus est obscuritatis quam ambiguitatis.

71) p. 160. C. *τὸ μὴ ὂν ἕτερον τῶν ἄλλων λέγει, ὅταν εἴπῃ, ἓν εἰ μὴ ἔστι.*

prietatum genera in eo vere; in qua quidem naturae suae constantia essentia (*οὐσία* cf. p. 10.) consistit. Veruntamen haec formula *non esse* (*μὴ ὄν*) non omnem essentiam ab uno aufert, sed et ipsa aliquod essentiae genus significat. Copulatur igitur hoc unum cum essentiae privatione, quum tamen sit pariter, atque ad veram essentiam eadem pertinet privatio. *Esse* (*εἶναι*) enim tunc recte intelligitur, quum duplex eius genus et aeternam immutabilemque essentiam sive naturam (*οὐσία τοῦ εἶναι ὄν* 162. B.) et differentiam ab aliis, igitur quodam modo essentiae privationem (*μὴ οὐσία τοῦ εἶναι μὴ ὄν* ibid.) mente informamus. Ac pariter *non esse* (*τὸ μὴ ὄν*) aut est omnino essentiae negatio sive nihil absolutum (*μὴ οὐσία τοῦ μὴ εἶναι μὴ ὄν*), aut est essentiae quaedam ratio, qua est multa et infinite multa non est, sive ab aliis rebus, quarum eadem est ratio, differt (*οὐσία τοῦ εἶναι μὴ ὄν* 162. B.) [72]). Hác ratione exsistit planissima huius loci difficillimi sententia, quam omnia essentiae genera complecti, si cum iis, quae supra disputavimus, conferas, luculentissime intelligitur. Quae quum ita sint, unum illud, de quo adhuc disseruerat Parmenides, et est et non est, mutatur, movetur, consistit et permanet, prouti et materiae et verae essentiae natura constituitur (163. B.).

Verissime igitur et luculentissime hic (p. 160. C. — 163. B.) de rerum corporearum existentia praecipitur. Neque istam, quae Tiedemanno [73]) tantum

72) Id quod explanavimus supra c. I. §. 4. 5. 7. 8. not. 24.

73) Arg. Dial. Plat. p. 350. 353.

creavit fastidium, ludendi libidinem aut ineptiarum farraginem in hoc loco deprehendi. Habent enim omnia ac singula recte, modo ad suum quodque genus referatur, neque variarum notionum varia potestas in unum confundatur. Non enim hic nisi de rerum, quae in sensus incurrunt, essentia sive malis non essentia praecipitur, quae quum varietatem et diversitatem ideoque in aliis rebus aliarum virtutum sive proprietatum privationem (τὸ μὴ ὄν) comprehendat, *non esse* propterea iudicatur. Haec ut recte perspiciantur, adhibendus est locus in Sophista p. 257. B. — 258. C. adversus Parmenideae sententiae vanitatem, qua τὸ μὴ εἶναι tam ex rerum natura, quam ex scientiae humanae rationibus sublatum fuerat [74].

Nunc quod additur (p. 163. B. — 164. B.), pertinet ad absolutam essentiae negationem. Nam non esse quum dicitur, non quodam modo esse et quodam modo non esse sumuntur res, sed esse omnino negantur (163. C.). Ex quo necessario hoc, neque attribui neque dici de rebus quidquam, immo ne cogitari quidem posse, consequi videmus. Id quod, quoniam est per se perspicuum, nihil addi opus est. Convenit enim Platoni et Parmenidi de hac absoluti nihili notione, hoc tamen discrimine, quod ille essentiae notionem uno tantum modo intelligi voluerat, Plato autem varia essentiae genera et ad disputandi subtilitatem et ad vitae et sermonis communem usum accommodatius di-

---

[illegible] [illegible]ndis comment. Eleat. I. p. 103. 134.

stinxit. Quod aeque in quaestione de non ente valere necesse est [75]).

§. 23.

Iam vero iterum *unum* et *alia* (ἓν καὶ τὰ ἄλλα) sive ab eo *diversa* sibi opponuntur (p. 164. C. — 165. D.), in qua disputatione unum *ideam* esse subintelligendum, alia autem *corpora*, non est, quod demonstretur. Quae idea quum esse negatur, aut in cognoscendis rebus repudiatur, reliquum fit, ut nihil, sublata omni notionis unitate, tanquam unum reperiatur. Sed vel individua corpora multitudinem et infinitatem continent, et perpetuo dividi queunt. Quod si quis affirmat, eum necesse est effugiat omnis cognitionis veritas, restet nihil nisi fluxa species et mobilis error. Quidquid enim sumseris, id sibi repugnat, et specie species vincitur. Iam aliis locis noster hanc Heracliti, Leucippi, Democriti, aliorum ineptam atomorum opinionem, ut in Theaeteto, Sophista et Philebo reiecerat, ex qua exstiterant labiles et fluctuantes illae τῶν ῥεόντων fabulae. Has igitur nugas physicas acutissime nostro loco refellit [76]).

Attamen ipsa haec opinatio et species cognitionis, quam possit quis sublata idearum unitate et cognitione defendere, tollenda est omnis. Namque unitate e me-

75) Cf. huius libelli p. 14. not. 24.

76) Cf. de Heraclito TENNEMANN. Gesch. d. Ph. I. 218. 237. SCHLEIERM. de Heracl. p. 356. Empedocle TENN. l. l. 243. Leucippo 263. Democrito 275. 289. Anaxagora 306. sq. 330.

dio sublata cetera tantum abest, ut plura aut multa sint, ut, negata unitate, ne esse quidem nedum cogitari aut coniici possint (p. 165. E.—166. C.). Atque in hoc, quod ultimum erat, repudiando orationis flumen consistit et quasi conquiescit. Etenim adeo nihil superest, quod amplius de hoc genere disputetur aut quaeratur, ut finiri sermonem in hoc ipso loco necesse sit. Plane perfecit, quod instituerat. Ideas esse, et summam in omni veritate et scientia vim et auctoritatem habere, id quidem, nisi forte quis meliora docere potest, docendo perfecisse videtur. Negat quidem Schleiermacherus [77]), fieri posse, ut, si quis accurate omnia momenta pensitaverit, hic dialogus pro sede doctrinae illius habeatur, neque propterea mirabilem istam controversiam de vera idearum ratione hoc opere Platonis adhibito componi posse; sed ipso orationis suae genere, quam non ipsi de veritate sententiae suae constet, significat. Quamobrem ab huius summi viri sententia idoneis rationibus adductum recedere, haud nefas esse videtur. Neque possum satis demirari Astii levitatem, qui praeter hunc ultimum dialogi finem desideraverit alium [78]). Ex quo uno, quam vir ille acutissimus mentem Platonis non assecutus sit, constare arbitror. Nihili enim est ratio disputationis pendenda, quam in tabula exhibuit p. 242. 243. Neque Schleiermacherus ab ea sententia plane abhorret, quae nisi fallor, haud magni est momenti. Nam quod constanter

77) Vers. T. I. Vol. II. p. 89. ed. alt.

78) [illegible] 244. 25[illegible].

contendit, esse hunc dialogum a Platone iuvene conscriptum paulo ante vel post mortem Socratis, inchoatumque esse relictum, id cum per se haud est verisimile, tum vereor, ut perspicue docere possit. Et orationem quidem ac dialecticae disputationis inconstantiam infirmitatemque et in notionibus recte definiendis conspicuam imperitiam quod commemorat, id, si ea, quae hic leguntur, cum ceteris dialogis componantur, vix alicui persuaserit. Etenim dialecticae orationis facultatem atque exercitationem perfectiorem in aliis Platonis libris vix repererit. Denique quod de Theaeteto, Menone, Sophista dicit, vix esse credibile, post ea, quae de natura cognitionis ibi praecepta essent luculentissime, Parmenidem aenigmatis plenum conscribi potuisse, id paulo longius a veritate abest. Nihil enim hic celatum est, nihil obscure significatum, sed positum tanquam aliunde certum ac manifestum. Modo enim accurate notionum propositarum ordo ac continuatio servetur, et rerum, quae commemorantur, genera diligenter distinguantur, optime omnia constant [79]. Neque praestat quidquam aliorum opinio, Platonem hac ipsa oratione difficultates et ambiguitates de eadem re nectere, et diversa ac repugnantia dicendo aut exercere mentis acumen, aut celare adeo alios mentem suam voluisse. Quod quam non modo falsum sed etiam ineptum sit, quicunque Platonicae prudentiae non plane rudis fuerit, sponte intelliget. Iam vero quod ad argutias et ratiocinia sophistica attinet, quae sibi deprehendisse multa multi in Parmenide videntur, id sic

79) l. l. p. 103. 105. 405.

est comparatum, ut ne audiri quidem debeat. Suo enim quaeque loco, sua ratione considerata reperiuntur esse verissima. Id quod quum in ipso hoc dialogo pateat, tum potest etiam comparatione eorum perspici, quae supra, ne respecto quidem huius dialogi testimonio, docuimus. Itaque nihil praeterea iam opto, nisi ut virorum doctorum elegantiae et subtilitati haec mea probentur.

Ceterum quo diutius animi aciem in perspicienda Parmenidis ratione et intelligentia defixam teneo, eo adducor magis, ut hunc dialogum pro Philosopho illo (Politic. 257. A.), cuius sermonis saepius iniicitur mentio, haberi posse credam. Quanquam id in tanta rei difficultate vix certo contendere ausim, terretque me Schleiermacheri exsecratio, qua prosecutus est eos, qui talia vel opinari auderent. Veruntamen perpetienda esset ipsa haec proscriptio aequo animo, si veritas in hanc aliquem sententiam impulisset, quum hic sit mos inter viros doctos, ut pro ratione auctoritatem suam interponant, iubeantque se suaque sequi, donec opposita ratio constiterit.

CAPUT IV.

DE IDEARUM DIVERSITATE ET MUTUA INTER IPSAS NECESSITUDINE.

§. 24.

Idearum propria est unitas. Fierine igitur potest, ut una omnes eaque summa notione comprehendantur,

ex qua tanquam ex fonte deriventur? Iam vero videntur eiusmodi notiones esse τοῦ ἑνός, τοῦ ὄντος, τῆς ἰδέας τοῦ ἀγαθοῦ. Quod utut est, tamen non hae solae ideae dici debent, sed etiam aliae permultae, genera rerum et formas complexae. Sunt enim unitates, et proprietatum signis inter se differunt. Cuius quidem differentiae duplex est genus, alterum notarum, quibus notiones singulae absolvuntur, quam ob rem ea ratione ὄντα καὶ μὴ ὄντα (εἶναι καὶ μὴ εἶναι) appellantur; alterum potestatis, quum aliae genera aliae subiectae iis formae dicuntur, ut Rep. VI, 510. B. C. 511. B. C. Phileb. 15. A. sq. Quod ut sit, tamen movenda est quaestio de eo, utrum omnium ac singularum rerum vel abiectissimarum adeo concipiantur ideae, an ea sit harum tantum rerum praestantia, quae, quoniam sunt a sensuum temeritate secretae, divinae perhibentur. Et sane poterat hoc dubium videri ei, qui naturam rerum opinione hominum de earum dignitate et pretio, non accurata essentiae intelligentia metiri consuevisset. Quales sunt iuvenes et philosophi nostrates. Etenim, quum capillorum, luti, stercoris notiones pariter ut res ipsae in contemtu sint, accidit ideo, ut eiusmodi rerum ideas esse negarent. Id quod Platonem committere noluisse, constat ex loco, quem in mente habeo, Parmenidis p. 130., ubi omnium rerum omnino ideas esse statuit. Nec poterat aliter sentire is, qui constantem uniuscuiusque rei naturam mente perspexisset. Quo accedit hoc, quod omnia ac singula ad sua quaeque genera, nec illa inferiora sed summa, quae omnium sunt communia, referuntur. Ex quo illud, esse et horum ideas

sive genera, summa alia, alia inferiora, consequitur. Quocirca in intelligenda disciplina Platonis hoc, omnium rerum, sive in intellectu sint sive in sensus incurrant, quarum esset certa et constans natura vel essentia, earundem esse ideas, probe teneamus necesse est. Cuius rei autem cerneretur nulla constantia, eius neque mente informari ideam [80]).

At vero, quum diversitatis rerum causa videatur esse alia nulla praeter materiae varietatem, num fortasse eadem et idearum est ratio? Nam quomodo potest fieri, ut eius, quod ex simplici et plane una natura exstitit, varietas et multitudo esse intelligatur? An subiecta est idearum variis generibus et inter se diversis multiplex quaedam materia? Corporum enim varietas a materiae (ὕλης) varia proprietate deducenda esse videtur. At quaenam aut qualis est haec idearum et corporum materia? Communem et idearum et corporum materiam, quum dispar utriusque generis sit ratio, concipere, nullo pacto convenit, duplicem autem et singularem in singulis fingere, lubricum esse videtur. Excogitavit tamen, ut hanc difficultatem tolleret, Aristoteles duplicem materiam, alteram corporum alteram notionum et idearum [81]). Et vero, quum in omnibus varietas et distinctio a materia, unitas a forma repetenda videretur (Met. XIV. 2. p. 240.), id quoniam in ideis quoque contingere intelligeret, ut

---

80) Cf. cum his refutationem Platonicae de ideis disciplinae apud Aristot. Met. XIII. 4. p. 218.

81) Aristot. Met. XIV, 3. p. 245. lin. 11. Phys. III, 4. p. 48, 6. p. 56.

varietas quaedam unitate formae definiretur, et aliarum rerum aliae etiam essent ideae, revocavit materiam ad ideas [82]). Et facile quidem fieri id potuit, quum eadem ratio idearum et numerorum esse videretur, in quibus multitudo unitatis accessione in formam certam redigeretur. Erat autem numerorum genus intermedium inter res creatas et idearum naturam, quod illas definirent, has similitudine aeternitatis et constantiae attingerent. Verum enim vero simile non est idem. Neque numerorum quod Plato materiam posuerat *τὴν ἀόριστον δυάδα*, propterea eandem et idearum elementa statuisse putandus est. Atque est tota haec de uno et dyade disputatio vel potius contentio non tam Aristotelis, quam interpretum eius seriorum, qui scholas Platonis ab Aristotele audiendo exceptas et in libris de Bono et de Ideis perscriptas secuti, numeros et ideas plane confundebant [83]). Non enim Platonem ipsum sed sectatores Academicos, cupidissimos illos Pythagorae Platonisque disciplinam conciliandi, audiebant. Qui quum vidissent, intercedere hanc inter numeros et ideas rationem, ut, quum illi ab altera parte propter multitudinem comprehensam essent materiae similes, unitate vero, quae eadem est idearum, ad hoc genus accederent; continuo non ex numeris ideas, sed ex ideis, ut Pythagorae suum constaret ius, numerique principia rerum haberentur, fecerunt numeros. Quod quum esset

82) Met. I, 6. 7. XIII, 4. et locis a Brandisio l. l. p. 3. 21. sq. et a Trendelenb. l. l. p. 47. sq. allatis.

83) V. Brandis. p. 28. 29.

indocte sane perfectum, nihil erat reliquum, nisi ut τὴν δυάδα, τὸ ἄπειρον et τὸ μέγα καὶ τὸ μικρόν, quibus quidem nominibus Plato materiam significare solitus esset, ad ideas translata principia adeo idearum facerent. Et sic quidem visi sunt sibi doctissime omnem idearum naturam aperuisse. Accessit, quod ideae tradebantur esse principia rerum. Res autem ex infinito et numero concreverant. Igitur ideae quoque tanquam principia rerum et numeri ex infinito et uno exstiterant. Quod quum fit, perditur idearum natura, cui, quum a materia plane sit secreta, neque aliter nisi mente, quae una et simplex est, concipi possit, nihil commune cum materia vel tenuissima fingere licet. Neque debebant ad evitandam hanc difficultatem fingi numeri ideales (εἰδητικοί), mathematici et physici, quippe quum et haec Speusippi et Xenocratis subtilitas a vera Platonis disciplina aliena esset [84]).

§. 25.

Itaque in tanta rei ambiguitate, quum in libris Platonis nullus plane, ex quo talia efficiantur, locus inveniri queat, praesertim quum haec numerorum et idearum confusio a sincera doctrina philosophi longissime recedat; mirum sane accidisset, si idem, qui in libris numeros et ideas esse eosdem negasset, in scholis non verbis modo sed sententiae etiam suae contradixisset. Fieri enim potuit quidem, quin factum esse cre-

84) Aristot. Met. XIV, 3. p. 245. Trend. p. 71. sq. Brand. p. 44. sq.

dibile fit, ut rerum principia physice explicans numerorum auxilio id efficere studeret. Nam id quidem debuit fieri, quum numerorum definitione infinita materiae moles digesta et composita esset. Ex quibus tamen non causae naturales sive efficientes, sed tantum formales in specierum varietate distinguenda conspicuae deducendae sunt. Dixit igitur, quod poterat, numeros ordinis et compositionis propter modum et unitatem esse causas, eoque societate cum ideis coniungi, ut quae essent simulacra generum et constans unitas. Quid, quod cum ideis comparasse credi potest. At ideas eos nominasse et sic praecepisse adeo, vix et ne vix quidem credibile est. At ipsa tamen haec similitudinis comparatio fraudi fuit discipulis. Etenim utrum sensus inesset sententiae, numeros et ideas esse causas rerum, annon, id quidem non curabant ii, quibus verba et similitudines ut res valerent. Idque quum nominum Pythagorae et Platonis auctoritate confirmaretur, quae nimirum apud homines meditandi insolentiores semper valuit plurimum, sublata erat omnis de ea re dubitatio, et quod fieri nunquam potuit, vere est factum. Numeri sunt rerum principia (ἀρχαὶ) et elementa (στοιχεῖα) creati, eorumque elementa etiam ad ideas pertinent. Sic saepe similitudinis speciem pro veritate docti scilicet homines amplexi sunt.

§. 26.

Iam quod ad Aristotelis testimonium attinet, id, quoniam non fere nisi ex libris metaphysicis repeti solet, parum valet. Quamdiu enim pendebit de au-

thentia librorum lis et iudicium, tamdiu, graviore etiam in dies incidente ambiguitate, infirma debet eorum haberi auctoritas. Ac quodcunque tandem est eorum momentum, loco tamen illo celeberrimo Met. I, 6. p. 16., quod volunt Brandisius et Trendelenburgius[85]), non certo confirmatur. Aiunt enim hi viri doctissimi, Aristotelis auctoritate confirmari sententiam illam admodum celebratam de convenientia Pythagoricae et Platonicae disciplinae. Quod mihi quidem secus videtur. Comparatur ibi Plato cum Pythagoreis propter communem numerorum doctrinam. Docuerant illi, numerorum imitatione res exstitisse omnes, hic participatione sive communione (μεθέξει). Iam vero praeter res sensibus subiectas et genera (εἴδη) inter res intermedia esse mathematica, quae a corporibus eo differrent, quod essent aeterna et immota, ab ideis, quod illa multa aliqua essent, ideae autem singulae unum. Quod autem genera omnium rerum causae (αἴτια) essent, propterea illorum elementa (στοιχεῖα) omnium rerum esse elementa, et tanquam *materiam* quidem *magnum* et *parvum* esse principia (ἀρχάς), tanquam *formam* et *essentiam* (οὐσίαν) *unum*. Ex illis enim propter participationem unius *ideas esse numeros* (ἐξ ἐκείνων γὰρ (τὰ) κατὰ μέθεξιν τοῦ ἑνὸς τὰ εἴδη εἶναι τοὺς ἀριθμούς)[86]). Hoc loco numeri quemadmodum

---

85) Brand. p. 21. sq. Trend. p. 30. sq. 69.

86) Cf. Met. XIV, 3. p. 243. οἱ μὲν οὖν τιθέμενοι τὰς ἰδέας εἶναι καὶ ἀριθμοὺς αὐτὰς εἶναι τιθέμενοι, ex quibus, si qui video, patet, accipiendum esse locum supra allatum sic: idearum genus propterea

a Platone post Pythagoram immutati sint, docetur. Atqui generum, et numerorum esse eadem elementa, eandem formam; utraque (et ideas et numeros) causas esse rerum, et propter naturae similitudinem ideas relatas esse ad numeros, quorum varia genera aliis locis ab Aristotele commemorantur. Igitur inter Platonem et Pythagoreos haud multum interesse, quod numeros illi, hic ideas, quae ad numeros redirent, causas rerum fecissent. Ac quis est, qui non videat, Aristotelem rationibus conclusis efficere magis, quam disertis verbis indicare, Platonem idem fecisse genus idearum et numerorum. Quod quo iure plerumque in examinandis philosophorum decretis fiat, inter omnes constat. Neque tamen negari potest attribui Platoni apud Aristotelem sententiam istam de materia idearum, quae vel *δυὰς* vel *τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν* dicatur; atque formam et principium earum esse unitatem (*τὸ ἕν*). Idque et Brandisius et Trendelenburgius certissime confirmaverunt. Veruntamen ipsa haec num ad veram Platonis doctrinam, qualem nos quidem ex libris, quorum adhuc superest copia, repetere debemus, accommodata iudicari debeant, id vehementer dubito. Nam-

---

ad numeros referri, quod sicut numeri communem et materiam (*τὸ ἄπειρον, τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν*) et formam (*οὐσίαν*) haberet. Est enim *unitas* proprie numererum, non idearum. At vero Trend. p. 69. verborum rationem invertit atque numeros inter ideas referri vult. Id quod neque huius loci ratio neque Platonica disciplina patitur. Neque enim Plato a numeris ad ideas delatus fuerat, sed similem Pythagoreorum doctrinam de numeris ad sua praecepta adhibendo utramque rationem conciliasse credendus est. cf. XIII, 4. p. 217.

que si Aristoteli in hoc genere fides sit habenda, aut alia locutus est Plato, scripsit alia, aut referuntur Academicorum subtilissimae de his rebus commentationes ad initia praeceptoris leviter tantum adumbrata. Id quod non immerito a me dici putaverit, quicunque Aristotelis in disputando et refutando rationem perspectam habeat. Omnino autem haec res et difficillima est et tanto impeditior, quanto remotiores ab aetate Platonis sunt ii, qui eius auctores exstiterunt. Quae quum ita sint, exspectandi sunt eo cupidius commentarii in metaphysica Aristotelis, qui a Brandisio conduntur. Hic enim, si quis alius, lucem huic rei afferre potest.

§. 27.

Hoc unum addam. Ideae sunt genera rerum, quae semper in animo vel divino vel humano ante fuerunt, quam ad materiam formandam adhibebantur. Materiae omnis propterea sunt expertes, tum quod simulacra notionum perhibentur concretioni contraria, tum quod materia formarum rudis ac plane inordinata ab idearum simplicitate abest longissime. Quodsi igitur aliqua in his reperitur differentia et varietas, non debet huius rei causa in materia vel corporum vel alia quadam subtiliore quaeri, sed in ipsa eius numinis natura, a quo omnia originem suam habent. Neque veri est simile, hanc, uti ab Aristotele fieri videmus, a Platone agitatam esse quaestionem, nisi forte, quae fieri nec possunt nec debent, tentasse eum ac suscepisse volumus. Accedit, quod materia idearum posita, et hoc, esse ideas praeter mentem aliquid et sub-

stantiarum modo per se esse, affirmatur. Id quod, nisi me omnia fallunt, neque de numeris ullus contenderit, neque de ideis, adductis locis idoneis, docuerit. Ac possem hic, ut ideas fingerem, essentiam illam divinam commemorare, ex qua tum universi mundi animus tum mens humana exstitit. Sed hoc ne facerem, prohibuit me loci in Timaeo ratio, in quo mythice non doctorum more disputatur, quoniam iis de rebus ne dici quidem nisi verisimiliter potest (p. 29. B. C. 48. C. D. 53. C.). Quamobrem in praesenti quidem totam hanc de materia idearum disputationem deponere cogor, quoniam in utramque partem affirmare aliquid mihi non integrum est. Quo enim accuratius in eam rem inquiro, eo mihi videtur maior esse culpa Aristotelis, qui quum ideas Platonis interpretaretur genera et notiones rerum communes, neque diversitatem idearum et notionum constanter servaret, quaestionem de materia notionum ad ideas revocavit, et sic ad materiae societatem, *quod ab ea esset remotissimum*, deduxit. Cadere enim in haec notionum genera videtur materiae commemoratio, ut quae totae sint in illius rationibus definiendis. Quodsi autem ad ideas materiam quandam subtiliorem adhibemus, fingenda est notio materiae inepta et sibi repugnans. Quae quum ita sint deponam ad tempus quaestionem [87]).

---

87) Tennemann Syst. II, 296—298.

CAPUT V.

DE RATIONE IDEARUM ET RERUM HUMANARUM.

§. 28.

Restat nunc, ut ad id, quod ultimum in hoc libello esse debet, ad quaestionem de ratione idearum et rerum humanarum accedam. Et primum quidem tangenda est controversia illa admirabilis de *substantia* idearum, quam dicunt. Fuerunt enim permulti, qui hanc esse utriusque generis rationem arbitrarentur, ut ideae tanquam res in rerum natura essent. Sed ante est ipsa substantiae notio definienda, quam in hac re decernere licet. Iam substantiae vocabulum non debet cum Quinctiliano (III, 6, 38.) vis et natura rei intelligi, qua praeditas ideas esse nemo dubitaverit; sed nostro more et usu est quaerendum, ideae sintne res a mente separatae, quae per se sint. Quam quidem sententiam plurimi ab antiquitate ad nostra usque tempora amplexi sunt. Sed difficultatem vocabuli substantiae, quam sublatam esse oportebat, reliquerunt. Alii res singulas, alii species rerum divinarum quasi exemplari expressas, alii deum, alii aliam posuerunt substantiam. At hoc tamen tenent, ideas sive notiones generales esse res, et esse per se solas. Quapropter locum adeo idearum descripserunt coelestem (Phaedr. 247. C. 250. B. Symp. 211. B.). In quo tamen errarunt. Nam inter loca ab his viris laudata ne unus quidem est, ex quo certo colligitur id, quod volunt. In Symposio pulcritudo ipsa describitur; ad quam cog-

noscendam Diotima Socratem sic iubet accedere, ut a rebus singulis iisque pulcris ad illud ipsum, quod vere est pulcrum et absolutum, avocando animum a singulis formis, enitatur, quod est semper, nec interit unquam, nec mutatur, neque est aliqua tantum ratione pulcrum. Non cernitur illud tanquam humanae formae simulacrum, neque ut notio (λόγος) et scientia (ἐπιστήμη), nec in aliis praeter se rebus in terra aut in coelo, sed tanquam ipsum, quod est per se et in se ipso semper idem (αὐτὸ καθ' αὐτὸ μεθ' αὐτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν 211. B.). Quibus verbis Schulzius[88]) ideam tanquam substantiam describi censuit. Quod concedi potest, si de deo summo et perfecto dicitur. Id tamen quum natura loci sic accipi non patiatur, intelligenda est idea pulcri, quae quum in re nulla tota inesse possit, necesse est, semper vigeat in ea mente, in qua, ut supra docuimus, idearum genus locum et quasi sedem habet[89]). Ac spero, locis omnibus accurate compositis et cum universa nostri doctrina collatis hanc meam sententiam confirmatum iri. Namque etiam locus in Parmen. p. 130. B. — 135. C. a Schulzii sententia est alienus. Movetur ibi a Parmenide quaestio, num separata (χωρὶς) a rebus singulis genera quaedam esse sumi oporteat, quorum participes sint res apud nos illorum cognomines (130. B. 131. A.). Id quum Socrates concessisset, sic de iis loquitur, quasi essent naturae separatae (καθ' αὐτὰ ὑφεστῶτα), atque in hanc

88) diss. de id. Plat. p. 10. 11.

89) Cratyl. 439. D. E.

sententiam argumenta affert contraria. His comprobatis in eam adducitur Socrates sententiam, ut notiones eas in animo insidentes iudicet (132. B.). Contra quam quae a Parmenide dicuntur, haud magni videntur esse momenti. Redarguuntur enim sententia Platonis, quam tanquam suam aliis locis proposuit. Igitur ne hoc quidem loco idearum substantialitas (ut hoc vocabulo utar) confirmatur. Alius locus, qui in hac quaestione a plerisque praetermissus esse videtur, legitur in Timaeo p. 51. B. C. Commovetur ibi de spatii natura difficultas, qualis sit. Negatur, esse elementorum similem; nam ignis et reliquorum elementorum eam esse rationem, ut, quodcunque ex iis constaret, iis esset simile; sed quaeri debere, num ignis ipse, si a particulis et corporibus igneis discesseris, per se sit, naturamque habeat certam et constantem. Exsistere igitur quaestionem, utrum natura rei cuiusdam sit per se, an ea tantum vere esse iudicentur, quae percipiantur sensibus, praeterque ea nihil. Quae si concedantur, habendum fore genus cuiusque rei nihil aliud quam notionem et definitionem (λόγον). Sed hac repudiata opinione affirmat, si intelligentiae (νοῦ) et verae opinionis (δόξης ἀληθοῦς) duo sint genera diversa, esse et haec rerum genera per se omnino (εἶναι καθ' αὑτὰ ταῦτα), sed quae cognoscenda non nisi mentis acies accederet. Nam in his generibus, quae semper sibi constant et sunt, inest omnis vera scientia, qua cognoscimus id quod est. Etenim quae opinione vera percipiuntur, eorum nulla est stabilitas et constans natura nulla, sed moventur perpetuo; propterea horum

nulla esse potest scientia. Concedendum est igitur, ut genera rerum sint per se et semper eadem (52. A.). Tam etsi vero genera rerum hoc loco esse per se docentur, tamen hoc, genera illa tanquam naturas alicubi vigere et esse, nullo pacto consequitur. Neque dissimilis est ratio loci in Philebo p. 15. A. B., ubi commemorantur *μονάδες ἀληθῶς οὖσαι*, quae neque oriuntur neque intereunt, sed semper sunt eaedem, ut bonum, pulcrum et aliae. Hic si quis velit contendere, ideas esse naturas divinas, quae essent per se, is sane verba in hunc sensum detorquere possit, sed res ei parum cesserit. Obstant enim non modo loca alia, ab hac sententia aliena, sed et totius disciplinae ingenium et ratio.

§. 29.

Et vero vocabulis *οὐσία*, *ὄν*, *εἶναι* quid tum, quum de generibus rerum aeternis dicitur, significetur, ex iis, quae supra exposuimus, constat. *Οὐσία* enim, quam substantiam interpretari licet, non id, quod Plessingius et ante eum Platonicorum, Mysticorum, Scholasticorum natio voluit, significat, sed *essentiam idearum aeternam*, qua semper sibi constant. Neque negari debet, *esse* eiusmodi ideas *semper*, quamvis sint simulacra rerum; nam in mente, quae est aeterna et viget semper, quum insint, non possunt non esse sempiternae substantiae. Modo hoc caveamus, ne, quam nostri fingunt realitatem suam, Platoni obtrudamus. Etenim si praeter animum aut in rerum natura aut in coelo tanquam res essent, detrusisset Plato *οὐσίαν* in illud genus, quod, quoniam nunquam est, sed

fit perpetuo, μὴ ὄν vocare solebat. Nam quod plures et olim contenderunt et affirmant etiam nunc pertinacissime, esse ideas extra coelum, quod oculis adspicitur, in orbe quasi collocatas, atque sic aeternum rerum mundum, in quo dii habitent et animi humani, antequam in hunc descenderint carcerem, efficere, id magis est, mythologiam fingere Platonicam, quam enarrare veram Platonicae disciplinae rationem. In quo quidem mirifice sibi placent. Istae scilicet *qualitates absolutae* sunt et sua vi vigent; immo deus ipse nihil est aliud nisi qualitas absoluta boni. Quid? quod haec ipsa qualitas reliquas ideas quasi procreat et coniungit. Veruntamen haec ipsa optime repetentur ab auctore huius mythologiae, Herbartio [90]); qui quidem iam ante hos viginti annos totam de ideis controversiam composuisse et sustulisse sibi videtur. Quem si audiamus, non est tam Platoni ipsi, quam Aristoteli, Sexto Empirico, Ciceroni credendum, si quaestiones Platonicae agitantur. Invehatur autem, licet, vehementissime in eos, quibus cum eo consentire non contigit. Est enim iste eius mos, quo in alios grassatur. Quominus autem ideae notiones hypostaticae intelligantur, quales commenti sunt Philo, Plotinus, Porphyrius, alii, librorum Platonicorum natura plane prohibet.

At, inquient, aliud habemus argumentum, gravissimum sane, quo idearum substantiam (ὑπόστασιν) defendere possimus. Sunt ideae principia et causae rerum, quibus nisi aliquid efficiatur, ne cogitari quidem

90) Lehrb. z. Einl. in d. Phil. §. 177—193.

possunt. Agere autem non potest nisi res viribus praedita. Igitur ideae viribus praeditae sua vi agunt. Quod si quis dicit, hoc dicit, ideas, quae sunt genera rerum notionis forma comprehensa, esse animos vel naturas animatas, quum notio nisi in animo insit nusquam, neque quidquam praeter eum agat aut efficiat. Verum quis tam hebeti est ingenio, quin haec Alexandrinis commenta deberi intelligat, ac toto animo repudiet? Neque haec fuit Platonis mens, ideas rerum causas dicentis. Omnino enim indoctam rationem, qua vulgo de causis rerum disputatur, apud Platonem invenisse sibi visi sunt isti, qui causis rerum et viribus quasi personas induerunt, atque universam efficientis causae notionem pro ipsa causa venditarunt. Quam enim intelligunt isti vim nisi naturam aliquam singularem res sui similes generantem? aut principium, nisi a quo movendi initium fit? Quae qui affirmat, nae ille miras narrat fabulas. Fingit enim Platonem dicentem idem ut ii, qui et antiquis temporibus et nostra memoria notionum rationes et causarum efficientium vim ac naturam pervertentes inaudita quaedam oracula de ideis tum ideas tum res etiam generantibus effuderunt. Habent enim eiusmodi portenta hoc, quod prodigiorum proprium esse solet, ut res ab iis profectae neque inter notiones neque inter res ipsas referri debeant aut possint, sed ut in somniantibus fieri solet, modo huc modo illuc convertantur, prouti sua quemque iusserit libido. Ac videtur propterea Plato inanem istam disputationem evitaturus tum demiurgum mundi tum aeternam materiam posuisse. Id quod si ea, quam

modo significavi, ratio valeret, non facturus fuisse videtur. Quamobrem longissime a Platone recedere videntur, si qui eiusmodi substantias in illius disciplinam intulerint, praesertim quum in plurimis ideis ne levissima quidem actionis significatio inesse possit.

§. 30.

At obstat Aristotelis, idearum tanquam rerum per se vigentium substantiam oppugnantis auctoritas. Quae, si id docuisset Plato, summi foret momenti. Nec poterat ille, ut aiunt, ignorare praeceptoris de ideis doctrinam. Et videntur sane loca (Met. VII, 13, 14.) a Schulzio [9]) allata hoc sensu accipienda; sed videntur tantum. Etenim quae c. 13. leguntur, iis impugnatur disciplina Platonis sic, ut genera communia (τὰ καθόλου λεγόμενα) inter substantias (οὐσίας) referenda esse negetur. Id autem quum diceret, non hoc voluit Aristoteles, Platonem ideas temere fecisse substantias, sed istas substantias non posse cuiquam, qui rectam eius rei notionem conceperit, probari. Dicit enim substantiam subiectum (τὸ ὑποκείμενον), quod ex materia (ὕλη) et forma (μόρφη) in unam coaluit speciem (εἶδος), in qua inesse vult naturam et vim (quam nos dicimus *das Wesen*, ille τὸ τί ἦν εἶναι) unicuique rei propriam. In quo videtur latere notio *individui*, quod vulgo appellatur, sive *rei singularis*. Quae quidem sententia inesse videtur in iis, quae l. VII, c. 3. p. 106. l. 13. et c. 6 p. 111. l. 3. de substantia

---

9) l. l. p. 11. 12.

leguntur. Neque discrepat substantiae definitio, quam in libris de coelo (III, 1. p. 67.) propositam invenimus. Nimirum plurimorum locorum [92]) ratio eo redire videtur, ut substantia sit res sive natura, quae separata ab aliis sit et agat. Atque hoc quidem sensu ideae Platonis substantiae dici non possunt. Quapropter alio sensu ille, alio Aristoteles ipsum hoc οὐσίας vocabulum intellexit. Neque refutatio Stagiritae aliter est intelligenda nisi sic, ut Platonem reprehenderet, quod ideas sive genera rerum, in quibus praeter illud τὸ τί ἦν εἶναι nihil inesset, inter substantias retulisset. Etenim non esse consentaneum, quae omnibus essent communia, ea pro substantia habere. At vero ab hoc notionis sensu longissime Plato aberat, quum ideas appellaret substantias. Quibus quidem nihil nisi constantem et perennem naturae rationem attribuit, ut paulo ante docere studuimus. Quamobrem tantum abest, ut Platonicam rationem Aristoteles impugnet, ut nihil doceat nisi hoc, ideas illas non videri sibi substantias, quoniam illis, quas ipse substantiae tribuerat, notis plane carerent. Et recte sane; nam id Plato ne voluerat quidem. Maioris autem momenti est id, quod eodem loco (Met. VII, 14. p. 127.) additur, ideas concipi χωριστάς, hoc est secerni a rebus, in quibus inesse dicerentur. Veruntamen hoc ipsum vocabulum (χωρίς, χωρίζειν) non hanc habet potestatem, ut rem, quae ab aliis separata sit et agat, significet, sed videtur haec inesse vis, ideas a Platone poni, tanquam si es-

92) v. Brandis. in ind. edit. metaph. p. 353.

sent praeter res, cum quibus communicari dicantur. Quod quum dicit, non propterea naturas singulares appellavisse putandus est [93]. Ceterum quantopere haec Aristotelis sententia a doctrina Platonis de idearum substantia abhorreat, nemo non videt. Accidit igitur, quod necesse fuit accidere, ut, qui a doctrina ista prorsus recederet, is ne iuste quidem eam aestimaverit [94]). Quare censendus est hic, non Platonicam sententiam platonice impugnasse, sed propterea, quod a sua substantiae notione discederet, reiecisse; id quod ne huic quidem invidendum. Proinde nec Herbartii movere quemquam debet ferocia, qui innumera adeo loca in libris Aristotelis invenisse sibi videtur, quibus substantia (realitas) idearum confirmetur [95]). Cuius viri tantus est in sua opinione tuenda fervor, ut veris falsa misceat, et fidem quasi interponat, se in ipsis Platonis libris legisse, ideas esse substantias. Legerit hoc sane et credat; invidebit nemo; modo ista ratione aliis persuadere nolit, quae ipse viderit, ea pro veris habenda esse.

§. 31.

Quae quum ita sint, argumentis ab Aristotele allatis et reliquis virorum doctorum disputationibus nihil

93) Cf. de hac re Trend. p. 42—46. doctissimam disputationem. Recte is monet, Aristotelem in impugnandis ideis sibi non semper constitisse, neque unam constanter de ideis Platonis tenuisse sententiam.

94) Tennemann Syst. d. Pl. Ph. II, 136. sq. Gesch. d. Phil. III, 47—53.

95) l. l. p. 185.

nisi hoc perspicue intelligitur, nonnulla loca librorum Platonicorum, neglecto universae doctrinae ingenio, in hunc sensum accipi posse, ideas esse substantias, quas vulgo nominant, idque ut propemodum constanter fieret, Alexandrinorum levitate et negligentia accidisse. Sed utut haec sunt, philosophiae Platonicae ratio talem opinionem pati nequit. Teneamus ergo hoc, quod unum idoneis argumentis nititur, ideam esse substantiam sive naturam uniuscuiusque rei aeternam et constantem. Quae quidem propterea, quod vere est, *οὐσία* recte dicitur. Est ea in mente, neque potest, quum notio et cogitatio sit, esse praeterquam in animo. Neo desunt, si testium auctoritate rem confectam velis, testimonia Ciceronis 96), Pseudo-Galeni 97), Pseudo-Plutarchi 98), Longini 99), immo etiam Aristotelis 100), qui no-

96) Cic. orat. 3. *Has rerum formas appellat ideas — Plato s easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri: cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu.* Quibus cum verbis cf. ea loca, quae supra laudavimus. Ex quibus constare putamus id, obiter inspexisse Herbartium libros, quorum auctoritate confidenter niti solet.

97) Galeni hist. phil. c. 6.

98) Plut. de placit. phil. I, 10.

99) Duos a Longino de ideis scriptos esse libros, alterum ad discipulum Porphyrium adversus rationes Plotini, alterum adversus ipsum Porphyrium, quum Plotinum sectatus Longini praeceptoris doctrinam deseruisset, testatur Porphyrius in vita Plotini. Cf. de ea re Ruhnken. dissert. de Longino. Opp. t. I. p. 526. ed. Lugd. alt. Iam si coniectura in hac re niti licet, credibile est, Longinum idearum substantiam, quam Plotinus tuetur, impugnasse, et quidem propterea, quod integram Platonis sententiam ista philosophia cor-

strae sententiae calculum adiiciunt. Verumtamen est in hac causa auctoritatis momentum omnino nullum, quum in vulgus constet, summorum virorum sententias et a sectatoribus et ab adversariis in varias partes trahi solere; neque nominibus sed argumentis in eiusmodi quaestionibus est pugnandum [1]).

§. 32.

At vero si ideae ex rerum, quales cum Aristotele multi induxerunt, ordine eximuntur, potestne fieri, ut nihilominus pro rerum genitarum principiis et causis habeantur? At docuit Plato, rerum causas (*αἰτίας*) esse ideas. Quod quo sensu dixerit, primum est explicandum. Atque causarum (*αἰτίων*) apud Platonem duplex est genus, alterum liberarum, quae insunt in mentis cogitatione, qua, quum idea rei cuiusdam effingitur, consequitur hoc, ut res

ruptam nollet. Huius autem viri videtur tam sublime fuisse ingenium, ut in hoc genere multum ei tribui posse arbitrer.

100) Aristot. Phys. III, 4. p. 48. de infinito tanquam principio rerum disputans Pythagoreos cum Platone componit, de quo haec scribit: *Πλάτων δὲ ἔξω μὲν* (τοῦ οὐρανοῦ) *οὐδὲν εἶναι σῶμα, οὐδὲ τὰς ἰδέας διὰ τὸ μηδέ που εἶναι αὐτάς.* Cf. Tenn. p. 45. Nec tamen nimium his Aristotelis verbis tribuerim, quum sibi haud admodum in examinanda doctrina Platonis constet.

1) Schleiermacherus in praefatione ad Phaedonem (p. 15.) eandem, quam nos sententiam de ideis ex libris Platonis repetitam defendit; neque omittendus est Tennemannus, qui tametsi permulta ad Kantii sententiam detorsit, multa tamen in Platone recte et docte explicuit. Cf. Syst. d. Pl. Ph. II, 127—155. 303. 304. III, 12.

ad eius exemplar efficiatur; alterum necessariarum, ad quas referuntur res naturales propter vim ac naturam suam necessario agentes, et sui simile aliquid generantes [2]). Quo causarum nomine quum ideae appellantur, non sunt corporum instar causae, quarum effectu non potest non alia res exsistere, sed eae causae intelligendae, quibus, si mens eas in consilium adhibuerit, res, ut sunt, sic fieri necesse est. Formam igitur ac naturam suam idearum beneficio res nanciscuntur; neque hoc idearum actione nescio qua evenit, sed mentis et animi vi et virtute, praeter quem notiones solae et per se non modo agere quidquam, sed ne esse quidem possunt [3]). Quapropter in ideis causa non existentiae, sed essentiae sive substantiae rerum posita est, quae etsi exstitissent nunquam, tamen forent ideae sempiternae; id quod in causis physicis et necesariis, in quibus alterum sine altero non est, accidere nequit. His enim quidquid efficitur, id necessitate gignitur; quo fit, ut eiusmodi causae non vere sed abusu causae appellentur, quum potius ξυναίτια (Politic. 281. E.) vel ea, sine quibus causae sit nulla vis (Phaed. 99. B.), dici debeant. Tametsi vero causis rerum ideae annumerantur, tamen principium sive prima rerum causa, aut origo (ἀρχή) nunquam dicuntur. Nam principii est haec natura, ut sua sponte agat, et moveatur suo

2) Cf. Phileb. 26. E. sq. Tim. 46. D. E. Phaed. 100. B.

3) Tim. 46. D. E. τὸν δὲ νοῦ καὶ ἐπιστήμης ἐραστὴν ἀνάγκη τὰς τῆς ἔμφρονος φύσεως αἰτίας πρώτας μεταδιώκειν, ὅσαι δὲ ὑπ' ἄλλων μὲν κινουμένων, ἕτερα δ' ἐξ ἀνάγκης κινούντων γίγνονται, δευτέρας.

arbitrio (Phaedr. 245. C. sq.); quod quum notionibus generum nullo pacto sed naturae animatae soli tribui possit (ibid. E.), principium, quo rerum universitas est generata, animus indicandus. At vero in Rep. VI, 508. E. 509. B. ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα et τὸ ἀγαθὸν appellatur rerum principium. Quod ne de idea vel notione boni dictum putemus; obstat et loci ratio et, quod gravius est, idearum natura. Haec boni idea et rebus, quae cognoscuntur, veritatem (ἀλήθειαν), h. e. ut vere sint, et menti cognoscendi vim tribuit, scientiaeque et veritatis cognoscendae est causa. Quid, quod maior et augustior est ipsa scientia et veritate. Nam quemadmodum sol facit, ut gignantur res, crescant et vigeant, sic *Bonum* illud, non solum ut cognoscantur, sed ut sint adeo (εἶναι) et suam naturam (οὐσίαν) habeant res, efficit. Etenim ipsum Bonum non est certa quaedam natura (οὐσία), sed superat etiam essentiam (οὐσίαν) maiestate et potentia. Quae si de idea sive notione aut forma boni dicta sunt, inepte dicta. Sustulisset enim is, qui diserte, hanc esse idearum potestatem, ut per se quidquam agerent, negasset, suam doctrinam omnem. Nimirum animo, quidquid fit, efficitur, non ideis. Itaque vel ex eo, animatam aliquam naturam, eandemque *bonam* significari, verisimile est. Praeterea cogitari nequit, unam ex idearum genere reliquas ideas et res etiam ex se generasse; quod quomodo fieri possit, omnem ingenii aciem effugit, si quidem hanc esse notionum generationem constat, ut aut a summis rerum generibus descendendo formas et species rerum et singula denique generibus subiecta

assequamur, aut a singulis exorsi ex his inter se et cum generibus proximis compositis ad genera denique summa perveniamus. Aliam autem atque ab hac diversam notionum originem etiam Plato esse noluit. Neque igitur eadem boni idea, si modo sit idea, adeo potest legibus et essentia (οὐσίᾳ) ceterarum esse exemta, ut iisdem legibus et subsit et non pareat. Accedit, quod ea dicitur ἀρχὴ ἀνυπόθετος p. 510. B. 511. B. VII, 517. B. C., quod alias de ideis plane non legitur. Quae quum sic se habeant, non possum non principem totius rerum universitatis et essentiae et cognitionis causam intelligere, qui nisi sit Deus, nescio an alius sensus horum verborum idoneus eruatur nullus. Sed tamen ἰδέα τοῦ ἀγαθοῦ non appellatur θεός. Nihil refert. Idea non solum essentia sed etiam natura essentia aeterna praedita a Platone intelligitur [4]. Quamobrem et deum, cuius natura et aeterna est et perfecta, ideam appellare potuit. Etenim ipsa haec boni idea, quum sit perfectionis et absolutionis unum exemplar, praeter se esse non potest, et est ideo in deo sive ipse deus, qui non habet in se boni ideam, sed est ipsa boni forma, quum neque essentia neque scientia perfecta cogitari possit separata. In hac autem consistere bonitatem, hoc est naturam divinam, non est, quod uberius persequar. Qui quidem deus si ἐπέκεινα τῆς οὐσίας esse dicitur, recte id fit; etenim natura eius adeo est perfecta et consummata, ut cum reliquarum idearum natura componi plane nequeat. Ac ne summa

4) Phaedr. 245. A.

quidem orationis aut subtilitate aut maiestate digne hanc divinae naturae bonitatem praedicare possumus. Sic omnia in hoc loco inter se conveniunt, neque, si quid video, ambiguitatis quidquam relinquitur [5]).

§. 33.

Iam vero, quo sensu Plato causas rerum in ideis positas acceperit, ambiguum esse nequit. Etenim hoc quum ponitur, causam effectu esse priorem, et sui aliquid simile gignere, ideae, ut quae naturae rerum propter immunitatem materiae sint dissimiles, non possunt esse nisi *παραδείγματα τῶν γιγνομένων*. Quorum similitudinem quum auctor ille divinus in condendo mundo exprimeret, effecit corpora omnia, quoad eius in tanta materiae ruditate fieri posset, idearum similia et perfecta. Atque haec quidem fuit causa, propter quam mundus tanto ordine, tanta pulcritudine et in omni motu constantia, tanta denique varietate distin-

5) Cf. Stallbaumii de hoc loco disputationem praestantissimam ad Phileb. proll. p. 87—91. Ad quam adiici posse videtur hoc, bonum quum dicitur de deo, non esse de bonitate aut honestate, qualis in moribus hominum perspicitur, cogitandum; quae si ad ideam bonitatis refertur, non est nisi perfectionis summae exemplar et imago. Abest enim ab indigentia naturae nostrae id, quod summum est puhlidum, essentia perfecta, quam graeco vocabulo *αὐτάρκη* dicimus. Haec autem a forma et specie boni disiungi non posse, viderunt ii, qui argumenta, quibus deum esse ostenderetur, persecuti sunt. Neque propterea Kantius est probandus, qui omnem ontologici argumenti vim infrigere et evertere conatus est. Cf. Glo. E. Schulzii *encyclopaed. phil.* ed. III. p. 75. sq. et Bouterwekii librum egregium: *d. Rel. der Vernunft* p. 253. sq.

gueretur; unde decoris et mundi (*κόσμου*) nomen accepit. Exemplar nimirum est divinae naturae et perfectionis [7]). Qui quidem quod tamen longissime a divinae imaginis pulcritudine abest, non deo id est vitio vertendum, sed male temperatae materiae, cuius perturbatio vix lege et forma in ordinem redigitur [8]). Est igitur rerum natura imitatio aeternarum idearum (*ὁμοίωμα*, *μίμημα*) ad exemplar illud expressa. In Parmenide (p. 132. D.) *τὰ μὲν εἴδη ταῦτα ὥσπερ παραδείγματα ἑστάναι ἐν τῇ φύσει* (Heindorf. *ἐν* omisit), *τὰ δὲ ἄλλα τούτοις ἐοικέναι καὶ εἶναι ὁμοιώματα* a Socrate sumuntur. Quod a Parmenide sic refutatur, ut ex ea opinione notiones rebus, quae his similes factae sint, inesse et plane easdem ut illas cogitandas esse doceat. Quo fieret, ut non simile simili sed idem in eodem, itaque a se non diverso inesset. Ac nisi nimia huius loci obscuritas me decepit, eveniunt haec tunc, quum simulacrum notionis (*παράδειγμα εἴδους*) tanquam natura aliqua, quae per se est, a re simili excipitur et secum copulatur. Quare lectio *ἐν τῇ φύσει*, quae vetusta et vulgata est, verior altera *τῇ φύσει* videtur. Namque non suam noster sententiam de idearum et rerum ratione proponit, sed perperam ab aliis quibusdam intellectam, qui arbitrati essent, in ipsa rerum natura illa notionum universarum simulacra tanquam formas conspici. Quod quum proxime ad veram Platonis sententiam accederet, sustulit lector aliquis, qui suam a

7) Tim. 28. 29. 30. A. Rep. X, 596. A—E.

8) Politic. 269. D. sq. Phaed. 74. A. sq.

philosopho hic expositam doctrinam putaret, illud *in* tanquam a veritate alienum, et sic restituit ex parte genuinam nostri rationem. Sed obstat etiam vocabulum *ἑστάναι*, quo, nisi fallor, praeter hunc locum de ideis nusquam usus esse videtur. Non sunt ergo in rerum natura vel in mundo vel extra coelum idearum quasi effigies, sed in ipsa mente divina, et quam ex *illa* delibatam novimus, humana insident.

§. 34.

Huius autem communitatis et idearum et rerum genitarum quae tandem est ratio? Similitudine quidem ad idearum naturam accedere corpora constat; at id ipsum quomodo accipiendum sit, vix intelligitur. Nihil enim impediret, quominus cum corporibus ideae communicarentur, si utriusque generis eadem esset ratio ac natura. Nunc ideae materiae plane expertes, materia per se forma et specie omni privata. Haud igitur facilis erit ad explicandum, quaecunque inter eas res intercesserit societas.

Et primum quidem tenendum hoc, ideas ipsas in corporum generibus non reperiri; nam sic praecipi hoc, corpora aut esse animos cogitantes, aut sine cogitatione notiones tamen in se complecti. At utrumque absonum (Parmen. 132. C.). Neque vero similitudine perfecta corpus ideae particeps est, ut ipsam ideam, qualis est, talem plane effigie expressam reddat (Parmen. 132. D. E.). Etenim separata est idearum et corporum natura, et ad suum genus utrumque refertur, corpora ad corpora, ad ideas ideae (Parmen. 133.

C. D.). Sed esse tamen debet aliqua inter haec utraque communio, si quidem apud nos sunt pulcra, honesta, bona (Phaed. 100. D. *οὐκ ἄλλο τι ποιεῖ αὐτὸ καλὸν ἢ ἡ ἐκείνου τοῦ καλοῦ εἴτε παρουσία εἴτε κοινωνία*).

Quas difficultatum tenebras ut dispellamus, necesse est, redeamus ad ea, quae supra exposita sunt. Sunt ideae, ut iam hoc, quod saepe diximus, iterum repetamus, in natura sive divina sive humana, eademque aeterna. Adhibuit eas tanquam imagines, ad quas componeret omnia, auctor ille mundi, et materiae generibus et numeris distinctae leve quoddam idearum simulacrum impressit. Quo factum est, ut suam naturam et eam constantem hic rerum ordo nancisceretur. In quo quidem ordine hic illic lumina quasi divinae perfectionis elucent, quae sensuum contemplatione animadversa, et ad genera sua ex singulis ac dissitis notis colligendo relata animum earum, quas ipse vidit ante, quam in hunc carcerem demitteretur, veritatis formarum commonefaciunt. Sic ille, qui vera novit, per imaginum umbras in mundo nobis occurrentes ad memoriam verae essentiae excitatus, dialectica commentatione augustam veri imaginem quasi exsculpit animoque intuetur (Phaedr. 248. B—D.). Quodsi igitur res humanae *μετέχειν*, *κοινωνεῖν*, *μεταλαμβάνειν* idearum multis locis [8]) dicuntur, id, quoniam earum sunt similes factae, rectissime se habet. Neque audienda est propter-

8) Phaed. 101. C. 102. B. et Wyttenbach. ad h. l. p. 266. 270. sq. Ceterum cf. Phileb. 15. A. B., cuius loci difficultas hac nostra ideaexpositione removeri posse videtur.

ea reprehensio Aristotelis, Platonem hoc nomine acerrime exagitantis. Dicit enim Met. I, 7. p. 23. lin. 24. τὸ δὲ λέγειν παραδείγματα αὐτὰ (τὰ εἴδη) εἶναι καὶ μετέχειν αὐτῶν τἄλλα, κενολογεῖν ἐστὶ καὶ μεταφορὰς λέγειν ποιητικάς, τί γάρ ἐστι τὸ ἐργαζόμενον πρὸς τὰς ἰδέας ἀποβλέπον; et paulo infra p. 24. lin. 8. ἐν δὲ τῷ Φαίδωνι οὕτως λέγεται (-Brand. λέγομεν), ὡς καὶ τοῦ εἶναι καὶ τοῦ γίγνεσθαι αἴτια τὰ εἴδη ἐστί· καίτοι τῶν εἰδῶν ὄντων ὅμως οὐ γίγνεται τὰ μετέχοντα, ἂν μὴ ᾖ τὸ κινῆσον. Illum autem motus auctorem, qui ad ideas rerum multitudinem effinxit, cum Platone deum intelligimus, si quidem ad praecepta, quae in Phaedone, Politico, Philebo, Republica, Timaeo exposita leguntur, non temere respicimus. Similiter in libris de Generat. et Corr. II, 9. p. 48. lin. 21. desiderat causam, qua generatio rerum ex Platonis sententia efficiatur; Neque enim in ideis neque in rebus ipsis motus causam reperiri. Quae si quis accurate consideret, potest fieri, ut hanc proponat sententiam, Non fuisse praecepta Platonis reprehensurum Aristotelem, si deum omnium rerum auctorem ab isto dici intellexisset. Platonem vero generationis causam in solis ideis non in deo posuisse; ideo ab Aristotele iure accusari. Veruntamen haec non sunt ita comparata, ut nostram sententiam infringere possint. Etenim motus causam Aristoteles ponit aeternam, eamque in ipsis rebus inesse vult (Gen. et Corr. II, 10. 11.); praeterea mundum docet esse aeternum. Deum igitur a causis naturalibus removit. Neque ad primam generationis et creationis causam, quam in idea boni positam arbitra-

batur Plato, respexit, quum haec adversus illum diceret. Manet igitur, quidquid contradicat Herbartius, hic Platonicae disciplinae sensus, ideas et genera rerum principia et causas esse eorum, quae exstiterunt aliquando, deum autem esse omnis motus auctorem. Sed neque in hoc genere ab uno numine originem habet motus omnis, sed est etiam materiae quaedam aeterna mutatio et inconstans perturbatio. Atque in hac parte videri doctrinam Platonis esse minus constantem, nemo quisquam infitiabitur.

§. 34.

Est enim hic locus insidiosissimus ac paene odiosus, ad quem delatum me esse sentio. Idearum enim et rerum genitarum rationes explicare nihil est aliud, quam divini numinis et mundi mutuam necessitudinem aperire, quum fieri non possit, ut a natura divina idearum genus separetur. In hac autem causa sive creatum esse a deo mundum contendas, sive cum Aristotele aeternum esse sumseris, idem futurus est finis atque exitus quaestionis, *Pantheismus.* Aut est deus, neque est praeter eum quidquam, aut est materia per omne rerum genus perfusa, neque praeter eam numen aliud divinum. Utraque par est ratio; quocunque enim modo rem aggrediaris, sive ponas, esse deum, et mundum ab eo distinguas, sive neges, perinde est; emerget ubique divini generis notio, atque ingeret sese in omnem disserendi rationem. Aut omnia est deus (ut ita dicam) aut nihil. Quapropter duplex nasci potest philosophiae ratio, altera panthei-

stica, atheistica altera. Illam tenuerunt ii, qui deum in mundo inesse, vel praeesse rerum universitati sibi persuaderent, alteram, qui, quum naturae et materiae tribuissent universa ac singula, nihil, quod deo iam relinquere possent, habebant. Atque ad hoc alterum philosophorum genus referendum esse Aristotelem, arbitror. Ille scilicet, quem introducit in aeternum et αὐτοκράτορα mundum, deus, si accurate eius vim ac naturam perpenderis, plane est immunis atque otiosus. Quid enim sibi vult in mundo, in quo, quod agere possit, reperitur nihil [9]). Contra fit in Platone. Qui quidem a deo originem ducere omnia, neque quidquam nisi dei beneficio moveri aut exsistere, perspicue docet. A locis enim in Protagora (322. B.), Politico (272. E.) si discesseris, nullus est, in quo non praesens ubique deorum numen et auxilium commemoretur. Est enim deus in mundo, et quasi per corpus undique intentus animus (Phaed. 109. B. — 114. B. Leg. X, 896. E.), cuius vi et potestate concrevit olim haec rerum sensibus subiectarum universitas. Mundus autem est animal animans, ratione praeditum, et unum, quod ad exemplar illius perfectissimi animalis divini exstitit, quod omnia animalia, cum genera tum singula, in se ipso comprehendit. Animalia (ζῶα ἔμψυχα) intelligit naturas, quae ratione et intelligentia corpus sive formam, qua inclusae sunt, moderantur. Quae quidem si in summa illa natura animante, quae suprema et augustissima est ex omnibus, inesse dicuntur, sunt na-

9) Met. l. XII. Tennemann Gesch. d. Phil. III, 240—257.

turae intelligibiles (νοητὰ ζῶα), quas sive animas sive ideas dixeris, perinde est. Sunt enim hae divini illius numinis tanquam partes (Tim. 30. 31.). Ex hac materia, quae individua est et sui similis, et ex ea, quae corporibus dividua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae, et quod alterius; idque interiecit inter individuum atque id, quod dividuum esset in corpore. Ex his tribus in unam speciem temperatis mundi confecit animam, quae quum se ipsa duplici et in adversum directo motu circumplecteretur, tam aeterna et sub intelligentiam cadentia quam ea intelligit, quae in sensus incurrunt (Tim. 35 — 37.). Quae anima estne diversa ab ipso mundo, rotundo et omnes stellarum et corporum motus complexo? Ac quomodo ab ipso deo distinguitur, qui et continet ac dirigit mundum, et intentus est tanquam praesens ubique vis et potestas per mundi orbem? Denique quomodo differt ipsa haec mundi rectrix ac domina ab animo humano, in quo pariter atque in illa temperata est individua et dividua materia? Et ipse deus summus et mundi opifex num distat ab opere, an insidet ille in medio et summo mundi loco, non ille quidem conspicuus ullo loco, sed non minus extimo orbe ambiens rerum et aeternarum et generatarum universitatem, quam intus in se ipso volvens orbem, dispari quidem sed ad proportionem composito motu, et sic divinam omnique sapientia laetissimam vitam agens? Disiunxerunt quidem multi, atque abesse a mundi inconstantia et permutatione voluerunt, locum ὑπερουράνιον commemo-

rantes, qui tamen, si accurate ea, quae in Phaedro et quae in Timaeo de coelo leguntur, inter sese comparentur, non potest alius intelligi nisi illud deorum et naturarum divinarum domicilium, quod, quoniam a sensibus et corporum rationibus hae naturae absunt longissime, non est in ullo loco, sed omnino nusquam. Etenim a mentis intelligentiaeque rationibus aliena est loci et spatii natura.

Veruntamen haec, quae tetigi, et fortasse propter nimiam quaestionum in me irruentium vim non sane doctissime tetigisse videor, non eo consilio commemoravi, ut disputationem de iis absolverem, aut interponerem certam et destinatam sententiam. Nihil volui nisi significare, quaestionem de fabrica mundi et de ratione divinarum humanarumque rerum cum hac, quam huc usque perduxi, quaestione de ideis intime esse coniunctam, neque fieri posse, ut quis difficillimum hunc locum explanasse sibi videri debeat, nisi si hanc rem docte et perspicue illustraverit. Etenim ut opinione defungar, quum in praesenti neque persequi rem uberius, neque sententiam argumentis confirmare possim idoneis, videtur mihi quidem Plato non magis quam veteres philosophi Ionici et Eleatici a Pantheismo abesse, licet neque disertis verbis hanc sententiam proponat, neque studiose contradicat. Nihil autem erat, quod hanc opinionem a sese amoveret antiquitas. Mundum enim intelligere naturam ratione praeditam, in qua, tanquam in corpore animus, sic divini numinis potentia et sapientia vigeret, non poterat absonum videri ei, qui singulis mundi partibus tum maximis tum minimis

animorum vim ac naturam indidisset ac praefecisset. Quorum animorum actio et vita si ad unam concentionem composita credebatur, num id potuit aliter fieri quam divini spiritus, qui contineret omnia, beneficio? Neque tamen putandus est propterea Plato in unum omnia commiscuisse; discrevit enim materiae crassitudinem et molem a rebus divinis; neque ullam, quod ante eum commiserant plurimi, formam deo et ideis attribuit; id quod Tiedemannus [10]), quem in hac re plurima doctissime exposuisse puto, non recte ex nonnullis locis effecit. Neque is est Plato, quem dedita opera Pantheismum docuisse arbitremur; defendit enim, ut praeter eum nemo, Theismum fortissime. Sed necessario ad illorum doctrinam, qui in omnibus ac singulis rerum generibus divinum aliquid perspicere se opinabantur, delatus est. Quam doctrinam si non est persecutus, ut universis singula responderent, factum esse puto ea de causa, quod non constanter ut Parmenides solam mentis intelligentiam sequebatur, sed communi etiam humanitatis sensu duci sese patiebatur. Qua quidem ratione accidisse puto, ut vulgarem Pantheismum et eum magnopere spernendum non admitteret, defenderet autem subtiliorem quendam, quo neque communis animi conscientia neque honestatis rationes laederentur. Quod si quis disciplinae rationem huic meae opinioni obstare dixerit, is expensis omnibus disciplinae momentis defendi eam non posse, demonstret. Effectum autem esse aliud nisi hoc, non constare sibi Pla-

10) *Geist d. spec. Ph.* II, 116. sq.

tonem; quum humanum genus a diis secernere studeat, vix sperare ausim. Habet enim hoc omnis antiquitas, ut philosophando ad Pantheismum denique perveniret; neque ulla fuit philosophorum familia, quae hunc scopulum evitare posset. Quid? quod nostra adeo aetate ii, quorum institutioni inhiant docti et indocti, nullam invenerunt aliam nisi hanc ipsam doctrinam. Nimirum videtur haec esse fatalis philosophiae necessitas, ut in exquirendis rerum causis et principiis aut omnia a deo repetere debeat, aut ab eius vi et auctoritate plane recedat, eumque ad sapientiam suam non adhibeat, nisi tum, quum in impertienda felicitate illius auxilio opus sit, aut denique, postquam de intelligentia societatis inter divinum et humanum genus desperatum sit, disrupto magis quam soluto nodo fiduciam fide restituat. Quamobrem quum Pantheismi rationes nec a Platonis sapientia plane abesse dico, ne quis hoc impie a me dictum putet. Sunt enim, qui propter socordiam verbis non rebus philosophiam metiantur, qui quum verba horreant, res non admodum subterfugiant. Neque tamen, si divini viri mentem recte percepi, Schellingii aut Hegelii, quod nuperrime persuadere nobis quidam ausi sunt, similem dixerim; neque id concedi posse arbitrer, ut quis Spinozae aut Schellingii praecepta ad eum explicandum adhibeat. Verum enim vero exspectandum est, donec Boeckhius, cuius in hoc genere summum est acumen, Timaeum Platonis illustraverit. In quo quidem opere, quo discesserit longius a Schellingii vertigine, eo ad veram Platonis intelligentiam propius accessisse putandus erit.

§. 35.

Omnino autem velim, eum, qui in hanc Platonis de deo et mundo doctrinam inquirere coeperit, procul habere nostra de deo praecepta. Nihil enim fieri potest infelicius, quam ut puriorem recentioris aetatis intelligentiam ad initia illa studiorum philosophiae transferamus. Sunt illa Platonis praestantissima, sunt divina, ut quae nemo neque superare neque etiam assequi possit. Sed suo loco, suis rationibus sunt existimanda; neque committi debet ullo pacto, ut quis singula ac dispersa sapientiae lumina, quae sibi quidem probata fuerint, colligat atque ex his veluti systema contexat. Quod cum ne ipse quidem Plato voluisse videatur, nec nobis id concessum arbitremur.

Deum, ut iam ad hoc redeam, unde paullulum digressus sum, duplici modo informasse videtur Plato. Altera ratione tanquam universum rerum divinarum et aeternarum genus sive tanquam naturam divinam, quam non, sicuti apud nos fieri solet, veluti personam quandam finxit, sed tanquam boni summi naturam. Ad hunc deum pertinet, in hoc continetur, quidquid est a materiae mole et inconstantia alienum, quod, quum neque mutetur aut generetur, est aeternum. Ex hoc genere sunt ideae, quae *τὸ θεῖον* et aliis nominibus, uti supra docuimus, appellantur. Neque tamen hae cogitandae sunt, tanquam si sint naturae per se vigentes, sed ad communem divinae naturae materiam (ut hoc vocabulo quanquam invitus utar) referuntur. Sic in deo insunt ideae. Etenim, si quis mihi illud obiiciat, deum esse naturam animatam,

non negabo, sed tamen tuebor hanc meam coniecturam. Neque videtur ab illorum temporum ingenio abhorrere, talem sententiam in illius viri libris expositam putare, qui a Parmenidis subtilitate et communi illius aetatis disciplina ad has quaestiones tractandas se contulisset. Ab altera vero parte fieri non potuit, ut omnem personae (quam nostro more dicimus) notionem ab intelligentia, potentia, bonitate summa disiungeret, quum legibus rationis humanae non consentaneum videatur, suspicere, colere, atque imitari virtute naturam aliquam coecam, surdam et omni sensu et ratione carentem. Quocirca, quum naturae institutione quadam ad hanc propensi simus sententiam, ut deum humanae naturae similem concipiamus, etiam Plato animum animique virtutes deo optimo et summo attribuit. Neque id facere non potuit. Quo factum est, ut, quum ab altera parte ad christianae sapientiae sanctitatem accederet, ab altera longe ab illa distaret.

Quae quum ita sint, discrepantia illa, quae esse videtur inter deum et mundi animam, ab hac duplici ratione proficisci potuit. Finxit deus materiam, ordine et lege disposuit, divinae naturae partem ei admiscuit, quo tanquam animo mundi corpus regeretur. At vero in mundo, praeter quem est nihil, inest divinum numen. Quod dividi nequit. Ergo intenta videtur vis et potentia divina per totum mundum, atque nullo loco excluditur.

Hanc, quae mihi quidem videtur esse aliqua, dissensionem ut tollerem, atque singula inter sese con-

cinnarem, laboravi multum et strenue. Neque vero potui. Rogo idcirco viros doctos, in quorum manus hic libellus inciderit, ut ne levitatem meam in hac causa accusent, quod re nondum explorata scribere de ea susceperim. Utar excusatione humanitatis, in quam vix videtur cadere, ut, quae quis animo divinaverit vel diligenter commentando assecutus sit, omnibus numeris absolvat, et finem studiorum suorum nanciscatur, in quo acquiescere possit.

Ceterum quantum his meis studiis ad disciplinam Platonicam intelligendam contulerim, viri docti iudicabunt. Nunquam vero hanc studii rationem plane deseram, quum et fructus in ea insit tantus, quantus ex aliis rebus vix capiatur, et nisi ad philosophandum historia philosophiae adhibeatur, haud multum in his litteris profici possit. At vero quam in hoc genere proclivis sit error, quam difficilis veritatis inquisitio, quam impedita tum a rebus tum ab oratione doctrinae Platonicae expositio, quantaque vel in summa diligentia opus sit cautione ac prudentia, id non est, quod iam doctos viros moneam. Ipsi enim ex iis, quae aliis vel accuratius distinguenda vel subtilius definienda a me relinqui oportuit, quam longe intra consilii fines substiterim, intelligent.

24 (12) ō